# REGULAE COMMUNES

–2022–

ORDINIS SCHOLARUM PIARUM

# REGULAE COMMUNES

–2022–

ORDINIS
SCHOLARUM PIARUM

Congregatio Generalis
ISBN: 978-84-7278-628-8
Depósito Legal: M-7865-2023

# INDEX

**5** **DECRETA**

**9** **REGULAE COMMUNES**

**11** Cap. I **DE ORDINE NOSTRO EIUSQUE IURE** (1-37)

**27** Cap. II **DE VITA CONSECRATA IN COMMUNITATE** (38-99)
27 De praxi calasanctiana votorum (38-40)
28 De castitate (41-45)
29 De paupertate (46 -52)
31 De oboedientia (53-59)
33 De communitate orationis (60-77)
36 De vita communitaria (78-93)
40 De suffragiis pro defunctis (94-99)

**43** Cap. III **DE NOSTRO MINISTERIO** (100-151)
45 De pueris juvenibusque a nobis educandis (109-113)
46 De educatore calasanctiano (114-117)
47 De institutione catechetica (118-124)
49 De schola calasanctiana (125-143)
54 De aliis actuositatibus (144-151)

**57** Cap. IV **DE CURA PASTORALI VOCATIONUM ET FORMATIONE SODALIUM** (152-221)
59 De sedibus formationis et de formatoribus (157-162)
61 De Adspirantatu et Prae-novitiatu (163-169)
64 De Novitiatu (170-192)
69 De Studentatu (193-214)
74 De formatione permanenti (215-221)

**77** Cap. V **DE ORGANICA ORDINIS NOSTRI DISPOSITIONE** (222-349)
77 De sodalibus (222-240)
84 De Communitate Locali (241-264)
94 De Communitate Provinciali (265-298)
106 De Communitate Generali (299-345)
118 De consociatione inter Ditiones (346-347)
119 De visitatione canonica (348-349)

**121** Cap. VI **DE SODALIUM PARTICIPATIONE IN ORDINIS GUBERNIO** (350-428)
121 De voce et voto (350-355)
123 De Capitulis in genere (356-379)
129 De Capitulo Locali (380-389)
135 De Capitulo Provinciali (390-398)
139 De Capitulo Viceprovinciali (399-409)
144 De Capitulo Vicariali (410-412)
144 De Capitulo Generali (413-423)
147 De nominationibus (424)
148 De renuntiationibus (425-428)

**151** Cap. VII **DE BONIS TEMPORALIBUS ADMINISTRANDIS** (429-470)
151 Principia generalia (429-434)
155 Administrationis gestio (435-439)
156 Administrationis systema (440-447)
163 Administrationis objectum (448-456)
165 Administrationis revisio (457-462)
167 Bonorum culturalium et artis plenorum administratio (463-470)

**171 SIGLA ET ABREVIATIONES**

**177 INDEX FONTIUM**

**DECRETA**

CASA GENERALIZIA DEI PADRI SCOLOPI

Prot.S.381.2022

**DECRETUM APPROBATIONIS**

Congregatio Generalis censet versionem latinam *Regularum Communium Scholarum Piarum* fideliter sensum Constitutionum et Capitulorum Generalium interpretari et pro ipsis Regulis, unanimiter eamdem approbat ac definitivam in lingua latina ad omnes effectus declarat.
Romae, in Congregationis Generalis sessione, die 27 Novembris anno Domini 2022.

P. Francesc Mulet Sch.P.
*Secretarius Generalis*

P. Pedro Aguado Sch.P.
*Pater Generalis*

Piazza de' Massimi, 4 – (S. Pantaleo). 00186 ROMA
Tel. +39 06 6840741
www.scolopi.org

CASA GENERALIZIA DEI PADRI SCOLOPI

Prot.S.382.2022

**DECRETVM PROMVLGATIONIS**

Scholarum Piarum Congregatio Generalis, facultatem a XLVIII Capitulo Generali concessam habens, hoc decreto *Regulas Communes* Ordinis Scholarum Piarum, una cum additionibus ab eodem Capitulo approbatis promulgat. Hae *Regulae Communes* vigent a die 25 mensis Decembris anno Domini 2022, die solemnitatis Natalis Domini nostri Jesu Christi.

Anno 1983, Sancta Sedes textum Constitutionum et Regularum post Oecumenicum Concilium Vaticanum II ut definitivum approbavit. Ex eo tempore, subsequentia Capitula Generalia nonnullas introduxerunt alterationes, et anno 2003 conventum, ita Regularum reformationi et partiali Constitutionum novationi operam dedit, ut leges et constitutiones Ordinis novissimis Scholarum Piarum rebus et necessitatibus adaptarent.

Constitutiones quidem sunt textus qui, suapte natura, firmiorem habent stabilitatem per tempora; regulas autem saepius oportet mutari ad novas Ordinis necessitates explendas.

Cum Capitulum Generale anno 2003 confectum, ampliam Regularum reformationem effecisset, Capitula annorum 2009 et 2015 conventa, parvas introduxere mutationes. Capitulum XLVIII, anno 2021 Cuautitlán Izcalli in Mexico celebratum, approbavit quasdam modificationes quae, recollectas in officiali textu, hoc Promulgationis Decreto praebentur.

Summae enim mutationes ad puerorum protectionem, muliebrem dignitatem, methodum electivum in capitularibus processibus, iuvenum comitatum, non regulatae educationis pondus, Calasanctiam in paroeciis praesentiam, magna formationis initialis principia, activam in Scholiis Piis participationem et intra Ordinem communicationem spectant.

Haec omnia Capitulum Generale magnopere et maximo studio disseruit. Hae igitur Regulae exemplum sollicitudinum Ordinis ac curarum constituunt, atque instrumentum Calasantiam vocationem fideliter vivendi. Susceptae sint hoc animo de manibus nostris, ad maiorem Dei gloriam, ad utilitatem quoque proximorum nostrorum. Amen.

Romae, 27 Novembris anni Domini 2022, die Patrocinii sancti Josephi Calasancti .

P. Pedro Aguado, Pater Generalis
P. Carles Gil, Adsistens Generalis pro Europa
P. Julio Alberto Álvarez, Adsistents Generalis pro America
P. József Urbán, Adsistens Generalis pro Asia
P. Félicien Mouendji, Asistents Generalis por Africa
P. Francesc Mulet, Secretarius Generalis

Piazza de' Massimi, 4 – (S. Pantaleo). 00186 ROMA
Tel. +39 06 6840741
www.scolopi.org

# REGULAE COMMUNES

**Caput I**

# DE ORDINE NOSTRO EIUSQUE IURE

1. In Ecclesia Dei, inter varias familias religosas, adnumeranda est nostra, cuius nomen officiale est: *Ordo Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum* vel, brevius, *Ordo Scholarum Piarum* aut *Scholae Piae*. Designari etiam potest aliis nominibus, quae usurpantur in versionibus Constitutionum et Regularum legitime approbatis. Omnia et singula supradicta nomina in cunctis documentis ecclesiasticis ac civilibus pari iure adhiberi possunt.

2. Finis peculiaris Instituti nostri est educatio integralis puerorum ac iuvenum, praesertim pauperum, iuxta documenta fundationalia Pauli V *Ad ea per quae* et Clementis XII *Nobis quibus*, interpretationes Capitulorum Generalium atque Constitutiones.

3. Lemma Ordinis, quo S. Fundator diversimode usus est, sic exprimitur: *In Dei laudem et proximorum utilitatem; Ad omnipotentis Dei gloriam et proximorum utilitatem*.

Adhiberi possunt etiam, ex traditione nostra: *Ad maius pietatis incrementum (A.M.P.I.) et Pietas et Litterae.*

4. Ordo noster Beatissimam Virginem Mariam Matrem Dei Scholarum Piarum, uti Principalem Patronam, et praeclarum eiusdem Virginis Mariae Nomen in Titulum se habere gloriatur. Huiusmodi Patronatus et Tituli signum est proprium Ordinis stemma, inde a primaeva Scholarum Piarum institutione adhibitum.

5. Ordo Scholarum Piarum partim Ecclesiae iure, partim iure proprio regitur. Ius nostrum in Constitutionibus et Regulis Communibus praecipue continetur.
*Constitutiones* sunt leges fundamentales seu cardo Ordinis.
*Regulae Communes*, quae Constitutiones explicant, complent ac tuentur, sunt leges internae a Capitulis Generalibus, ut plurimum, latae vel in iisdem confirmatae.

6. Constitutiones et Regulae lingua latina exaratae habendae sunt uti textus authentici. Possunt autem in linguas vulgares verti, sed translationes Congregationis Generalis approbatione indigent.

7. 1º *Decreta Generalia* sunt normae quae a Capitulo Generali vel, de eius delegatione, a Praeposito Generali de consensu suorum Adsistentium, pro toto Ordine feruntur, quaeque in vigore permanent, donec ab alio Capitulo Generali abrogentur vel, praxi comprobata, in Regulas Communes convertantur.

2º *Directoria* sunt decreta generalia exsecutoria a Capitulo Generali vel a Praeposito Generali de consensu quorum

Adsistentium, pro toto Ordine vel pro aliqua vel aliquibus Ditionibus ad normam iuris lata, singularum personarum coetus vel speciale negotiorum genus respicientia.

3º *Statuta* sunt ordinationes quae a respectivis Superioribus Maioribus de consensu suorum Adsistentium pro universitatibus sive personarum sive rerum conduntur et quibus earumdem fines, constitutio, regimen atque agendi rationes definiuntur.

4º *Declarationes* sunt authenticae interpretationes de natura et finibus Ordinis, de Regulis et Decretis Capitularibus, necnon practicae interpretationes seu dubiorum solutiones circa Constitutiones, a Capitulo Generali vel a Praeposito Generali de consensu suorum Adsistentium datae.

5º *Decreta Exsecutoria* sunt normae a Superioribus Maioribus, ad tempus sive definitum sive indefinitum, legitimae latae, quibus pressius determinatur applicatio legum aut earum observantia urgetur.

6º *Decreta Capitularia* sunt praescripta Capituli Provincialis, a P. Generali de suorum Adsistentium consensu confirmata, quae Ditionem seorsim sumptam eiusque sodales vel domos respiciunt atque ligant, donec ab alio Capitulo Provinciali, approbante Praeposito Generali de consensu sui Consilii, revocentur. Si quando huiusmodi Decreta Capitularia approbationem Capituli Generalis nacta fuerint, leges particulares pro eadem Provincia evadent, quae non nisi ab alio Capitulo Generali abrogari poterunt.

7º *Instructiones* sunt normae a Superioribus Maioribus legitime editae, quae legum praescripta atque rationes in iisdem exsequendis servanda evolvunt ac determinant; et ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur, eosque in legum exsecutione obligant.

8º *Decretum singulare* est actus administrativus a competenti auctoritate exsecutiva editus, quo secundum iuris normas pro casu particulari (ex.gr. erectione vel suppressione Domus) datur decisio aut fit provisio, quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponunt.

9º *Praeceptum singulare* est decretum, quo personae aut personis determinatis aliquid faciendum aut omittendum directe et legitime imponitur, praesertim ad legis observantiam urgendam.

10º *Rescriptum* est actus administrativus a competenti auctoritate exsecutiva in scriptis legitime elicitus, quo suapte natura, ad petitionem alicuius, conceditur privilegium, dispensatio aliave gratia (ex.gr. indultum exclaustrationis).

11º *Ordines* sunt regulae seu normae, in personarum conventibus observandae, quibus eorumdem constitutio, moderamen necnon rerum agendarum rationes definiuntur.

8. Documenta numero 7 recensita necnon cetera Ordinis publica scripta, publici iuris non fiant sine sigillo institutionis ea promulgantis subscriptionibusque eorum ad quos spectat. Electronicae subscriptiones validae exstant si conditiones a societate civili exactas adimplent.

9. *Fontes* iuris nostri sunt: universales leges Ecclesiae, ius universale religiosorum, Documenta pontificia cuiusvis generis, inde ab Instituti fundatione, pro nobis lata, Constitutiones, Regulae Communes, Documenta, Declarationes et Decreta Capitulorum Generalium et Provincialium temporum decursu celebratorum, Directoria et Statuta diversa, Decreta Generalia et Decreta Exsecutoria, Ordinationes variae in Ritualibus et in Libris Precum contentae, Instructiones, privilegia et exemptiones seu dispensationes, consuetudines et sanae traditiones.

10. 1º In Ordine nostro, *Domus religiosa* stricto sensu dicta requirit, semper, Communitatem seu coetum personarum. Ad Domum igitur condendam, necessaria sunt: coetus personarum, qui quattuor saltem consodalibus constet, ex quibus unus sit sacerdos; in Domo canonice erecta simul commorentur, sub autoritate Superioris legitime designati; et vitam communem agant. Domus religiosa erectionem canonicam obtinet per decretum formale a Supremo Moderatore, servatis de iure servandis, scripto latum, praevio Episcopi dioecesani consensu in scriptis dato. In particularibus casibus, et propter Ordinis necessitates, P. Generalis permittere potest ut alicuius Domus canonicae membra, praeter commorationem in sede principali, commorari valeant aliis in nucleis communitariis unam communitatem religiosam simul constituentia.

2º Ut Domus religiosa dicatur *formata* et exercere valeat iura omnia omnibusque teneatur obligationibus, constare debet sex saltem religiosis votorum sollemnium, ex quibus unus sit Superior legitime designatus.

3º *Statio seu Domus lato sensu* est domus quae canonica erectione caret, ideoque nec personalitate iuridica gaudet nec iurium et obligationum est capax.

4º *Sedes filialis* est pars Communitatis principalis alio in loco, viciniore quidem, vitam simul agens, sub eodem Rectore, licet aliquis religiosus praesit ipsi ad nutum P. Provincialis.

5º Possunt quoque constitui *communitates in praesentia* quae, habentes sedem in duobus aut pluribus domibus, singulis a minus quam quattuor religiosis habitatis, communitatem faciunt ad religiosorum vitam, vocationem et missionem curandam atque vivificandam. Proiectum communitarium custodit hae communitates per interventus huic rei convenientes. Cuique Communitati huiusmodi praeficiatur Superior Localis qui communitatis in praesentia partem capiat.

11. 1º *Opus Scholarum Piarum, stricto sensu* dictum, est centrum activitatis, cuius titularis est Communitas Localis, vel Ditionalis, vel Generalis Scholarum Piarum; iuxta leges ecclesiasticas et civiles erectum; in quo sive unus vel plures sodales nostri sive unus vel plures laici cum Ordine illigati ministerium exercent.

2º Si Operis titularitas cum aliis participatur, nostra iura, obligationes atque responsabilitates Statutis vel Ordinationibus eiusdem definientur.

3º Opus Scholarum Piarum considerari etiam possunt labores vel instituta, quae, cum charismate nostro concordantia, a quadam Scholarum Piarum Communitate assumuntur.

12. *Praesentia Scholarum Piarum* est summa institutionum communitariarum et apostoloricarum (necnon contignatio relationum quae circum statuuntur) quae constituunt ac figurant Scholarum Piarum realitatem concretam cuiusdam loci, localis, ditionalis. Praesentia Scholarum Piarum idoneis propositis ac dotationibus ad suum incrementum et consolidationem dotetur.

13. Relationes et responsabilitates sodalium et Communitatum, diversis gradibus, ut fundamentum habent tum principia fidei et sacra ligamina vitae religiosae communisque vocationis, tum principia identitatis, auctoritatis, corresponsabilitatis et subsidiaritatis, cum principio sanae decentralizationis harmonice convenientia.

14. In Ordine nostro, servatis de iure servandis, auctoritatis servitium exercetur ab omnibus et singulis Superioribus tum Localibus tum Maioribus in propriis cuiusvis Ditione et gradu, necnon a Capitulo Generali aliisque Capitulis. Tam Superiores quam Capitula officio tenentur exigendi ac fovendi exsecutionem normarum, quibus regimur.

15. Superiores nostri eorumque Vicarii sacerdotes esse debent. Post legitimam electionem vel nominationem, auctoritate ordinaria fruuntur, ac iurisdictionem ecclesiasticam tam in foro interno quam externo, ad normam iuris, Constitutionum et Regularum, exercent.

16. In Ordine nostro supremam internam auctoritatem habet Capitulum Generale, cui soli, iure proprio, potestas leges ferendi competit, tam pro toto Instituto quam pro singulis Ditionibus.

Cetera organa et Superiores possunt normas seu praecepta edere intra limites suae iurisdictionis, quae tamen, etsi legis characterem non induunt, religiosos obligant.
Praescripta ista et ceterae normae, quae ad nos spectant ex iure universali et proprio desumptae, vim iuridicam habent et obligationes gignunt, secundum fontes a quibus proveniunt.

17. 1º *Praepositus Generalis* est sacerdos qui auctoritatem in Totum Ordinem actu exercet, sive in Capitulo Generali electus, sive a Sede Apostolica nominatus, sive Praeposito Generali defuncto, renuntianti vel amoto suffectus. Designari etiam potest aliis nominibus, uti sunt: Superior Generalis, Supremus Moderator aut, simpliciter, P. Generalis.

2º *Vicarius Generalis* est sacerdos Adsistens Generalis qui, auctoritate ordinaria vicaria, vices Praepositi Generalis absentis vel impediti gerit aut negotia cuiusvis generis sibi commissa persolvit.

3º *Praepositus Provincialis* est sacerdos qui Provinciae sive formatae sive non formatae actu praeest. Vocari etiam potest Superior Provincialis vel, simpliciter, P. Provincialis.

4º *Vicarius Provincialis* est sacerdos Adsistens Provincialis qui, potestate ordinaria vicaria, vices Praepositi Provincialis absentis vel impediti gerit aut alia negotia sibi commissa persolvit.
Quae de Vicario Provinciali hic dicuntur, valent etiam, congrua congruis referendo, de Vicariis aliorum Superiorum Maiorum inferioris gradus.

5º *Viceprovincialis* est sacerdos qui praeest Viceprovinciae sive dependenti sive independenti.

6º *Delegatus Generalis* est sacerdos qui, auctoritate ordinaria vicaria, Ditioni praeest, quae Delegatio Generalis vocatur.

7º *Delegatus (Patris Generalis, Patris Provincialis, etc.*) est persona qui, auctoritate delegata, negotia a respectivo Superiore Maiore illi commissa gerit. Si autem sacerdos non sit, negotia quae Ordinem presbyteratus requirunt, ab eius activitate exclusa manent.

8º *Superior Vicarialis* dicitur sacerdos qui, auctoritate ordinaria vicaria, praeest alicui Vicariatui Provinciali

9º *Rector* seu *Superior Localis* est sacerdos qui praeest Communitati Locali canonice erectae. Eius nominatio, tempore capitulari, fieri debet ad quadriennium; tempore extracapitulari, usque ad finem quadriennii. Solummodo iusta et rationabili de causa atque de consensu Praepositi Generalis cum suis Adsistentibus, nominari poterunt Rectores ad brevius definitum tempus, quod raro faciendum est.

10º *Praeses* est religiosus praepositus Stationi.

11º *Visitatores Generales* vel *Provinciales* sunt religiosi sacerdotes a P. Generali vel P. Provinciali ad visitationem Ordinis, Provinciae vel Domorum delegati. Similiter dicendum est de Visitatoribus in Viceprovinciis, Vicariatibus et Delegationibus, congrua congruis referendo.

12º *Consilii Generalis* nomine designatur coetus quattuor Adsistentium, qui una cum P. Generali Congregationem Generalem constituunt; Curia Generalis vero comprehendit omnes illos qui,

per legitimam nominationem, quolibet munere vel officio apud Generale Ordinis gubernium funguntur.

13º *Consilii Provincialis, Viceprovincialis, Vicarialis* et *Consilii Delegationis* nomine designatur coetus Adsistentium vel Consultorum, qui una cum respectivo Superiore Congregationem Provincialem, Viceprovincialem, Vicarialem vel Delegationis constituunt; Curia Provincialis, Viceprovincialis, Vicarialis vel Delegationis comprehendit omnes illos qui, per legitimam nominationem, quolibet officio funguntur apud gubernium respectivae Ditionis.

18. *Superior* est sacerdos qui ordinaria gaudet auctoritate eamque exercet, vi muneris, in foro tam externo quam interno. *Superiores Maiores* sunt: Praepositus Generalis, Praepositi Provinciales, PP. Viceprovinciales, Delegati Generales, Superiores Vicariales; eorumque Vicarii.
Alii Superiores sunt *Rectores* seu Superiores Locales Domorum canonice erectarum.

19. Non sunt Superiores sensu stricto: Delegati a quibusvis Superioribus, cum auctoritate tantum delegata, Visitatores, Adsistentes et Consultores cuiusvis gradus, Vicerectores, Officiales tam maiores quam minores, Praesides.

20. Superiores Maiores et Adsistentes cuiusvis gradus non expedit esse Rectores.

21. Documenta et res ad officium pertinentia Superiores atque Officiales omnes ordinata et a rebus documentisque personalibus rite separata servent. Officio absoluto, ad successorem omnia tradere debent.

22. Religiosus renuntians in officio seu munere permaneat donec de Superioris competentis acceptatione certum nuntium acceperit. Item Superior vel Officialis qui, transacto tempore ad quod nominatus est, cessat, in muneris exercitio permaneat prorogata potestate donec novus Superior vel Officialis possessionem capiat.

23. 1º Ad tractanda personarum privatarum data, quaequae sint, Ordo et Ditiones ita reguntur:

a) Candidatorum et noviciorum data, tantummodo eorundem consensu.

b) Religiosorum, libero arbitrio, quotiescumque datis pro vitae et missionis promotione utantur.

2º De personis privatis, quaequae sint, tractatio datorum efficiatur maxima cum cura. Personarum judicarum responsabiles in Ordine, secundum officia eorum, regulas emmitent utrique iuri aptas, ut semper servetur et intimitas personarum et rectus datorum usus.

24. Superiores et Officiales cuiusvis gradus ad tempus definitum nominati, a Superioribus Maioribus de consensu sui Consilii et, si casus ferat, monito prius Praeposito Generali vel obtento eiusdem consensu, propter bonum Ordinis, Provinciae vel Domus, ob rationabiles causas (ex.gr. si nova Domus vel novum Opus creantur vel supprimuntur, difficultas vel speciale momentum alicuius muneris, gravis defectus auctoritatis, organisationis vel administrationis, incuria in officio implendo, et alia id genus) possunt vel ad alia munera transferri vel ab officio seu munere removeri.

Si cum “nihil obstat” Praepositi vel Congregationis Generalis nominati fuerunt, idem “nihil obstat”, ad eorum translationem vel remotionem, requiritur. In casibus vero remotionis, ius universale in spiritu caritatis semper attente servetur.

25. Superiores ab officio, ultimis tribus mensibus ante Capitula Localia, ne removeantur, nisi culpa intercesserit et removendo causa sit manifestata.

26. Capitula et Superiores, intra ambitum suae potestatis, possunt Superioribus subordinatis, Visitatoribus, aliis personis singularibus et commissionibus, ad normam iuris, delegare suam potestatem exsecutivam ordinariam. Cum agitur de Superioribus, hoc valet solummodo in negotiis pro quibus non requiritur consilium aut consensus respectivorum Consiliorum.
Quoad Vicarios Superiorum Maiorum, ratio habeatur nn. 278, 306 et 307.

27. 1º Suffragium potest esse collegiale, deliberativum et consultivum.
In omnibus Capitulis suffragium, in votationibus canonicis, semper est collegiale, ad normam canonis 119. Ceteris in casibus, in iure nostro, suffragium numquam est collegiale, nisi hoc expresse dicatur.

2º Superiores ad agendum quandoque suffragio sui Consilii deliberativo aut consultivo egent.
Si agatur de voto deliberativo, necesse est ut Consiliarii mentem suam per modum unius manifestent, actu scilicet inter praesentes posito, postquam omnes legitime convocati fuerint.
Exceptis casibus iure nostro praescriptis, votatio secreta, in voto ferendo, non requiritur, nisi Superior vel aliquis Consiliarius eam petat.

3º Si agatur de voto consultivo, Superior potest Consiliarios vel in unum convocare ad opinionem eorum actu inter praesentes exquirendam, vel singulos Consiliarios singillatim interrogare.
In negotiis in quibus Consiliarii voto consultivo gaudent, satis est ad valide agendum, ut Superior, alterutro modo supradicto, eos audiat, quamvis ad eorum votum, etsi concors, nulla accedendi obligatione teneatur.
Si vero eorum consensu indiget, sine voto vel contra unanime votum aut contra votum partis absolute maioris membrorum Consilii praesentium, Superior invalide agit. Minime autem tenetur actum ponere modo quo eis placuerit, si sibi non probatur, sed potest ab agendo se abstinere.

4º In casu suffragii collegialis, exitus suffragationis est praeceptivus.

5º In Consiliis ad votum deliberativum exquirendum, Superiores -eorumque Vicarii, si qua tales agunt- iure suffragii gaudent, ut de more in nostra traditione.

28. 1º Cum iure sive universali sive proprio votum Adsistentium vel Consultorum requiritur, consultivum tantum intelligitur, nisi certo constet illud esse deliberativum.
Quotiescumque in iure nostro *"Congregatio Generalis"*, *"Congregatio Provincialis"* vel aliud simile inveniatur, agitur semper de voto deliberativo et actus ponendus est a respectivo Superiore de consensu sui Consilii.
Cum vero dicitur *"Superior cum suo Consilio"*, semper est intelligendum de voto consultivo.

2º Adsistentes et Consultores in rebus suae deliberationi subiectis consentire censentur, nisi expresse contradicant.

Licet decisioni maioritatis expresse non consenserint, subscriptionem negare nequeunt; attamen, si id postulent, eorum discors sententia in Actis constare debet. Sciant se ad secretum pro rei actae gravitate teneri.

29. Cum votum sive deliberativum sive consultivum exquirendum venit, procedatur omnino ad normam n. 27, nisi quando in casibus specialibus Congregatio plena exigatur vel votum sit collegiale.

30. Si Praepositus Generalis vel aliquis ex Adsistentibus absentes esse contingat, ad ipsos substituendos convocandi sunt, cum necessarium est, primo loco Procurator Generalis, secundo loco Secretarius Generalis.

31. Quilibet Superior Maior, excepto Supremo Moderatore, initio sui mandati, de consensu suorum Adsistentium, ad normam n. 281,1º designare debet unum religiosum qualitatibus Adsistentis Provincialis praeditum, qui, cum necessarium est, cuiusvis membri a respectiva Congregatione absentis locum occupet. Si vero Ditio nationes plures complectitur, in iis singulis nationibus singuli designari possunt religiosi qui vicem Adsistentis absentis praestent, ita tamen ut unus tantum agere poterit unaquaque vice.

32. 1º Cum iure nostro requiratur totius Congregationis adunatio, necessarium est ut Superior Maior et eius quattuor Adsistentes intersint sessionibus vel, si qui desint, quinarius numerus sodalibus ad hoc designatis statuto ordine compleatur.

2º Ceteris in casibus, ad effectos iuridicos quod attinet, Congregatio plena censetur eiusdemque actus validi sunt si, convocatione more solito

facta, Superior Maior vel eius Vicarius cum duobus Adsistentibus conveniat, reliquis absentibus.

3º Quod si alius tunc adhuc abfuerit, ad complendum ternarium numerum necessarium est ut unus ex consodalibus ad hoc designatis, statuto ordine, convocetur. Quo in casu, plena requiritur unanimitas in decisionibus sumendis.

33. Si Congregatio alicuius Ditionis tribus tantum membris, nempe Superiore Maiore et duobus Adsistentibus vel Consultoribus, constat, sessionibus Congregationis in quibus suffragationes habendae sunt, tres semper consodales interesse debent.

34. Ius quod ab Ecclesia procedit, immutabiliter ex parte nostra viget.

35. Quod attinet ad mutationem, interpretationem, dispensationem vel suspensionem Constitutionum, serventur normae, quae in n. 126 ipsarum Constitutionum prostrant.

36. Regulae Communes mutare vel suspendere ad Capitulum Generale, de maioritate absoluta, pertinet; illas autem authentice interpretari tum Capitulum Generale tum Congregatio Generalis possunt: nisi in utroque casu agatur de normis iuris ecclesiastici universalis.

37. A normis disciplinaribus Constitutionum et Regularum P. Generalis dispensare potest per modum actus, quoties id in bonum religiosorum conferre iudicet.
Similiter etiam Superiores Maiores et Superiores Locales in sua quisque Ditione.
Dispensatio autem ne concedatur sine iusta causa, et, si rem notabilem respiciat, Superiore altioris gradus certiore.

## Caput II
# DE VITA CONSECRATA IN COMMUNITATE

### De praxi calasanctiana votorum

38. Scholarum Piarum sodalis se conformare debet evangelicae rationi vitae ducendae, quae a Calasanctio usurpata est. Itaque conscientiam habeat obligationis personam Fundatoris penitus cognoscendi, sanas Instituti traditiones acceptandi et omnem suae vitae formam accommodandi Constitutionibus ac Regulis in Ordine vigentibus.

39. Ex sua in Ordinem acceptatione officium contrahit sese conformandi vitae rationi ipsius Calasanctii et adipiscendi virtutes, quae magis eum adiuvarunt ad sanctitatem acquirendam, nempe: amorem et contemplationem Christi Crucifixi, devotionem erga Mariam, humilitatem et paupertatem, vitae simplicitatem, patientiam, reverentiam in personas, fidelitatem erga Ecclesiam ac Summum Pontificem, necnon dispositionem ad perpetuam con-versionem assequendam

40. Ex sua professione religiosa sodalis calasanctianus publice promittit se satisfacturum esse religiosis votis castitatis, paupertatis et oboedientiae, necnon quarto peculiari voto pueros ac iuvenes educandi. Iuxta Sanctum Patrem nostrum, hoc ultimum votum est cum natura nostra coniunctum, non autem absolutum sicut tria alia, sed oboedientiae submissum.

## De castitate

41. Per voti castitatis professionem, religiosus promittit se victurum esse coelibatum propter Regnum, qui matrimonium excludit et, si agatur de sollemniter professo, invalidum facit ipsum matrimonium.

42. Ad castitatis consecratae dono respondendum, sodalis noster omnia media sive naturalia sive supernaturalia adhibeat, uti sunt cognitio sui ipsius, harmonica coniunctio elementorum quae eius personam constituunt, animosa ac patiens lucta, universaque subsidia, quibus, iuxta sanae psychologiae postulata, ad veram personae maturationem pervenire possit, praecipue vero adsiduum orationis studium et mystica amicitia cum Jesu ac Virgine Maria.

43. Ex mediis magis peculiaribus nostrae vocationi consonis haec adnumeranda veniunt: labor generose susceptus, studium acquirendi solidas virtutes a Fundatore nostro commendatas, laetitia in vita communitaria, amicitia aperta et gratuita inter religiosos, praesertim vero cum iis qui humanae benevolentiae magis indigere videantur, animi simplicitas et cordis apertio cum Superioribus vel personis experientia et dono Consilii praeditis.

44. Persuasum habentes Christum maximam animi fortitudinem et alacritatem coram periculis a nobis exigere necnon cordis solicitudinem partem esse crucis quam, in sequela Christi, nobismetipsis imposuimus, normas asceticas austeritatis ac frugalitatis Ecclesiae experientia consecratas suscipiamus. Divinae legi poenitentiae satisfacere satagimus. Quoad ieiunii et abstinentiae

disciplinam, dummodo hoc non impediat quominus maiora a nobis exigamus, legibus Ecclesiae et specialibus indultis probatisque locorum consuetudinibus conformabimur.

45. In humanis relationibus necnon in lectionibus, spectaculis, recreationibus aliisque huiusmodi, sensum criticum adhibeamus, atque vitemus quae sunt vocationi propriae nociva et castitati personae consecratae periculosa. Praeterea vitae agendae rationem aptemus normis hac in re a Superioribus nostris latis aut in Dioecesi in qua habitamus vigentibus.
Nostrae autem vitae testimonio nostrisque verbis, doctrinas contrarias castitati, quam nos libere pro Regno caelorum assumpsimus, redarguamus.

## De paupertate

46. Sollemnis professio paupertatis, qua Christum pauperem sequimur, exigit ut non solum iuri personali renuntiemus, sed etiam capacitatem acquirendi et possidendi amittamus, necessaria ad vitam nobis labore comparemus, sobrietatem teneamus, rebus materialibus cum debita dependentia a legitimis Superioribus utamur, quidquid industria personali, labore, pensione sociali vel quolibet alio titulo nobis proveniat in communem capsam conferamus. Actus contra votum sollemne paupertatis, natura sua, vitio nullitatis laborant.

47. In nostris communitatibus talem vitae formam usurpare debemus, quae modestae familiae necessaria sibi labore comparantis conditiones non excedat. Proinde frequenter revisenda

erunt quae spectant ad habitationem, cibum, potum, vestes, vacationes, ut austeritatem pauperum omnino colamus. Universe cibi nostri paupertatem et simplicitatem redoleant, et raro emantur pretiosi, neque laute condiantur.

48. Vitabimus tum inane otium cum laborem immoderatum et alienantem, qui nobis aufert congruum tempus et animi tranquillitatem ad vires reficiendas, ad actus communitarios adeundos et ad orationem personalem colendam.

49. Responsabilitas personalis promovenda erit ad maiorem paupertatem quaerendam. Pro expensis individualibus in unaquaque Ditione normae particulares hac de re definiantur, ita tamen ut ipsa etiam species stricti iuris ex parte religiosorum excludatur. Quantitas pecuniae singulis adsignata nostrae paupertati conveniat, nunquam vero expensas gentis communis regionis excedat. De huiusmodi expensis accurata fiat comprobatio.

50. Quoad familiam propriam cuiusvis nostrum debitam independentiam servabimus, ita ut neque bonis eiusdem in commodum proprium consuete utamur, neque pro familiaribus nostris bona procuremus. Attamen si illi indigentia laborent, rem Superiori Maiori manifestabimus ut iis providere possit.

51. Nolentes conformari huic saeculo, bonis communibus, etsi in usum personalem concessis, moderate utemur. Media locomotionis ad solam Communitatem pertinebunt et numquam luxum praeseferent. Nos autem, paupertatis sensibus induti, illa adhibebimus velut instrumenta ad laborandum consentanea. Superior Maior, ad

propositionem Communitatis, de convenientia ea acquirendi decernat.
Item apparatus, iuxta iudicium Superioris Maioris, magni pretii, de licentia ipsius Superioris Maioris, a sola Communitate acquiri poterunt.

52. Quod spectat ad usum aedificiorum aliis concedendum et ad collaborationem cum Ecclesia locali, quae pacifice obtinere conatur ut etiam pauperiores suis fruantur iuribus, semper agendum erit iuxta normas a Superioribus Maioribus et ab Ecclesia locali latas.
Caveant autem nostri ne, sua agendi ratione, alicuius factionis instrumentum deveniant, neve, timore vel segnitie detenti, inertes maneant nihilque pro aliis agant; sed conabuntur conditiones inhumanas, in quibus pauperes inveniuntur, meliores reddere.

## De oboedientia

53. Oboedientiae professio requirit ut, ad Christi imitationem, voluntati Dei unice penitusque mancipemur et, fide ac amore acti, plene Moderatoribus seu Superioribus subiciamur iuxta spiritum et vitae formam, quae in Constitutionibus continentur.

54. Superiores in spiritu servitii suam potestatem a Deo per ministerium Ecclesiae receptam exerceant; subditos regant uti filios Dei, ac promoventes, cum reverentia personae humanae, illorum voluntariam oboedientiam, eorum conspirationem in bonum Instituti et Ecclesiae foveant, firma tamen ipsorum auctoritate decernendi et praecipiendi quae agenda sunt. Meminerint insuper se, ex ipso

munere, vinculum unitatis factos esse inter religiosos et universum Ordinem.

55. In voluntate Dei exquirenda, Communitas Superiori adiutorium ac lucem afferre nitatur; Superior vero, suae limitationis conscius, religiosos sive singillatim sive communitarie, necnon -si opus fuerit- viros peritos consulat. Communitas voto deliberativo solummodo in casibus iure nostro determinatis gaudet.

56. Superior probe sciens voluntatem Dei non semper manifestari per maiorem partem et eo minus per coetus cogentes, magna cum spiritus libertate procedat.
Cum vero in communitariis coetibus, sententiae variae exstant et de rebus gravioribus agitur, decisionem ad aliud differat tempus et, rei dilucidationem quaerens, orationi interea vacet.

57. Cum consilium aliquod legitime in Communitate captum est, religiosi eo obstrictos se sentiant idemque suum faciant, licet sibi minus probandum videatur.

58. Memores se, non solum Communitatis Localis, sed et Communitatis Ditionalis ac Generalis membra esse, religiosi nostri sciant Superiores posse eos ex una in aliam Domum transferre cum Ordinis necessitas vel sodalium bonum id requirat.

59. Religiosi nostri, quamvis vi voti oboedientiae tunc tantum oboedire tenentur cum Superior, expressis verbis, in virtute sanctae oboedientiae aliquid praecipiat, curent tamen in quotidianis adimplendis obligationibus sinceram oboedientiam am-plecti et tum virtutem tum votum exercere.

## De communitate orationis

60. Sodales nostri meminerint imprimis dari non posse vitam religiosam sine quotidiana et sat longa oratione, unde vita pietatis exoritur. Quae interius profecto crescit, sed sapienti quoque externa dispositione promoveri debet.

61. Communitas igitur Localis, prae oculis habitis Constitutionibus, Instituti traditionibus et criteriis a Superioribus Maioribus propositis, initio anni scholaris, ordinem actuum pietatis a Superiore Maiore cum eius Consilio approbandum conficiat et periodice recognoscat.

62. Curet insuper Superior ut sodales in programmate sui laboris tempus sufficiens orationi individuali quotidie assignent. Similiter satagat ut omnes interesse possint actibus communitariis, in quibus, praeter preces vocales, in Verbi Dei meditationem, saltem per dimidium horae, magno animi et corporis silentio incumbant.

63. Curet Superior ut singuli religiosi proprium Proiectum Personalem scripto redigant.

64. Concelebrationem eucharisticam, velut peculiare signum nostrae in Christo unionis, fovebimus, in qua, saltem interdum, homilia habebitur.

65. Liturgiam Horarum, quae oratio totius Corporis Christi Mystici exstat, sacerdotes et diaconi fideliter persolvere tenentur. Communitas vero, in exercitiis quotidianis statuendis, debitas partes tribuat Laudum et Vesperarum recitationi. Ubi id fieri possit, optandum est ut alumni et fideles, in his Ecclesiae precibus, partes nobiscum habeant.

66. De nostra cum Deo fratribusque coniunctione fovenda solliciti,frequenter ad Sacramentum Reconciliationis accedemus. Superiores autem huius Sacramenti frequentiam promovere stu-deant. Adventus et Quadragesima sunt tempora liturgica in quibus ad poenitentiam communitarie celebrandam invitamur.

67. Praeter quotidianum actionum nostrarum examen -privatim vel communiter factum, iuxta Communitatis programmationem- revisionem vitae nostrae religiosae nostrique apostolatus communiter peragemus.

68. Leges et sacros ritus ab Ecclesia de Liturgia lata sodales nostri probe calleant et fideliter observare curent.

69. Mysterium Christi per anni circulum recolentes, peculiari modo Triduum Paschale quod ad fastigium pervenit celebratione Resurrectionis Domini, in ecclesiis nostris, ubi possibile sit, recolemus. Circa Liturgiam Horarum his diebus habendam, mores Ditionum serventur. Debita praeparatione et peculiari sollemnitate Nativitas Domini a tota Communitate celebretur. Speciali autem cura festa liturgica peragenda sunt in nostris ecclesiis, ubi maior praesentia fidelium habetur.

70. Beatam Virginem Mariam, Instituti nostri Patronam, fideliter colemus atque eiusdem festivitates filiali devotione celebrabimus. Quarum praecipuae erunt: Sancta Dei Genitrix Maria, Praesentatio Domini, Annuntiatio Domini, Beatissima Virgo Maria Mater Dei Scholarum Piarum, Assumptio B.V.M., SS.mum Nomen B.V.M. Titulus Ordinis

nostri, et Immaculata Conceptio B.V.M., iuxta Calendarium romanum et proprium.
In nostris pietatis exercitiis statuendis, precibus e traditione nostra, novis temporibus aptatis, praesertim mariali Rosario et Coronae duodecim stellarum a S. Josepho Calasanctio conscriptae, debitum momentum tribuemus. Orationes Communitatis mariali prece, ex more, concludemus.

71. Liturgicam sollemnitatem Sancti Patris nostri, die 25 augusti, maiore qua poterimus devotione in universo Ordine peragemus. In nationibus vero, in quibus, cum haec occurrit sollemnitas, scholae vacant, alio tempore opportuno digna actio liturgica cum alumnis habeatur. Demum singulae Communitates, debito honore, recolant suum Patronum necnon Sanctos et Beatos Ordinis nostri Familiaeque Calasanctianae.

72. Curent Superiores ut, ad festa nostra liturgica fovenda, quotannis Calendarium Ordinis nostri proprium typis edatur.

73. Exercitiis spiritualibus per quinque saltem solidos dies quotannis omnes vacabimus, in quibus, coram Deo, etiam de renovatione tum personali cum communitaria serio inter nos agemus.

74. Praeter frequentiores collationes de rebus spiritualibus, aliquoties recessus spirituales habebimus, in quibus, per orationem et meditationem, spiritum nostrum renovare et vitam religiosam revisere curabimus.

75. Silentium, quo ad vocem Spiritus auscultandam aptiores efficimur, etiam ob reverentiam erga fratres interius exteriusque custodiemus,

praesertim in aedibus Communitati reservatis et nocturno tempore necnon horis in programmatione communitaria statutis.

76. Preces pro diversis Ecclesiae et societatis finibus devote effundemus, maxime in communi Laudum et Vesperarum recitatione, iuxta parata specimina; frequenter insuper communiter orabimus pro spirituali progressione Ordinis nostri totiusqueFamiliae Calasanctianae, pro Superioribus nostris et ad voca -tiones impetrandas. Dei adiutorium, Capitulorum tempore, peculiaribus precibus implorabimus.

77. Demum, quo sodalibus expeditior reddatur orandi consuetudo, singulae Communitates decens ac decorum Oratorium habeant facilis accessus et habitationibus vicinum, in quo SS. Sacramentum asservetur. Ibi religiosi nostri, non solum communi orationi vacent, sed etiam privatim suas fundant preces.

## De vita communitaria

78. Quattuor vota, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, ac, iuxta eam, peculiaris curae circa puerorum ac iuvenum eruditionem, in Communitate apostolica calasanctiana vivere debemus. Ad huiusmodi Communitatem provehendam necesse est ut relationes interpersonales foveamus et structuras acceptemus quae ad hunc finem conducunt.

79. Ad necessariam intimitatem familiae religiosae tutandam et tamquam testimonium publicum vitae religiosae, clausura communis servetur, quin capacitati nostrarum Communitatum

receptus ac hospitalitatis impedimentum sit. Rationabili de causa, Superior permittere poterit ut extranei in Communitatem ingrediantur, in illas scilicet partes eidem reservatas.

80. Cum quis e domo egreditur, aliquo modo notitiam relinquat de suo egresssu.
In disponendis aestivis vacationibus Superiores et sodales rationem habeant de necessitatibus Domorum et propriae Ditionis nec quisquam tempus sibi pro vacationibus assignatum producere audeat.
Superior Localis permittere poterit ut religiosus, qualibet probata de causa, per aliquos dies extra domum degat, nisi agatur de absentia temporaria pro servitio Communitatis.

81. In itineribus longioribus atque magni pretii aggrediendis, religiosus licentiam in scriptis a Superiore Maiore petat, rationes declarando et media oeconomica, quibus expensae solventur, Superiore Locali probante. Superior de spiritu paupertatis et de conditionibus socialibus rationem habebit.

82. Superior Maior, de consensu sui Consilii atque iusta de causa, concedere potest ut religiosus extra Domum Ordinis nostri degere valeat, non tamen ultra annum, nisi ratione infirmitatis curandae, studiorum aut apostolatus exercendi nomine Ordinis nostri.

83. Superior Maior licentiam vel facultatem religioso generatim ne concedat, ante quam Superiorem immediatum audierit. Semper vero praedictum Superiorem immediatum de concessa licentia tempestive moneat.

84. Ad unitatis bonum assequendum et ad legitimam sodalium libertatem tuendam, animorum aequalitatem servare conabimur, praesertim cum de rebus politicis agendum erit. Sufficientes de rebus politicis informationes acquirere debemus, nullo tamen modo factionibus politicis nomen dabimus; sed omnes illas in Domino complectemur et orabimus ut earum certamina in bonum civitatis cedant.
Iurium civilium exercitium considerandum semper est officium singulorum religiosorum. Hac in re, Sedis Apostolicae et Ecclesiae localis consilia reverenter et fideliter excipiemus.

85. Quae bono nomini tum singulorum religiosorum cum totius Communitatis nocumento esse possunt, ex reverentia fratribus debita, prudenti caritate tacebimus.

86. Ad sensum corresponsabilitatis de tota Communitate Ditionali augendum et ad fraternitatem omnium fovendam. Superiores promoveant conviventias diversarum Communitatum, conditionibus locorum et personarum prae oculis habitis.

87. Quoad opera typis mandanda, regimur Ecclesiae normis.
Tractationes de Sancti Iosephi Calasanctii vita aut de universi Ordinis Historia, solum de P. Generalis licentia scripto data edi possunt, nisi de operibus rursus edendis vel in aliam linguam transferendis agatur.
Duo exemplaria omnium scriptorum quae a nostratibus in lucem proferantur, P. Generali, ex officio, sunt mittenda.

88. Scholarum Piarum in retibus socialibus et aliis paginibus interretialibus participatio, non solum

communitaria et institutionalis, sed etiam personalis, fiat sine occultatione consacrationis nostrae. Interreti utantur prospicientes ea omnia quae ad educationem atque pastoralem curam et evangelicas actiones pertinent, sine scandalis, sine vanitate, sicut est nostri Ordinis.

89. Cum quotidianae recreationes fraternam sodalium unionem maxime foveant, adsit conclave pro huiusmodi fraterna conversatione.

90. Addatur Regulis Communibus officium legendi, studiandi et commentandi Constitutiones tum Regulas Ordinis nostri.

91. Peculiaris cura habeatur de sodalibus infirmis et senioribus, quibus singulae Domus succurrere debent, auxilio, si necesse sit, propriae Ditionis. Superior, de sua pastorali responsabilitate conscius, provideat ut infirmi Ecclesiae sacramentis tempestive muniantur, ipsique consodales infirmi libenter sacramenta petant.

92. Statim ac aliquis ex nostris mortuus fuerit, Communitatis Superior, Superiorem Maiorem monebit, qui de fratre vita functo P. Generalem et suae Ditionis sodales certiores faciet. Pater autem Generalis, more consueto, nuntium ad universum Ordinem transmittet.

93. 1º Superior vel eius delegatus, cum alio religioso, curam habebit de omnibus quae in sodalis defuncti cubiculo inveniuntur. Si res alicuius momenti invenerit, testificationem redigat eamque Superiori Maiori mittat. Decernet etiam quid deleri, distribui vel in Tabularium Domus vel Ditionis deferri debeat.

2º Si defunctus fuerit ipse Superior Localis, inspectio ad Vicerectorem pertinet; si vero Superior Maior, ad eius Consilium.

3º Si P. Generalis aut P. Provincialis extra residentiam suam obierint, vel si defunctus sit ex-Generalis, vel quolibet tempore functus fuerit munere Adsistentis, Procuratoris, Oeconomi vel Secretarii Generalis, praefata relatio ne conficiatur, sed eius cubiculum sub sigillo maneat, donec Congregatio respectiva aut P. Generalis aliter disponat.

## De suffragiis pro defunctis

94. Nuntio de obitu sodalis Ordinis nostri, vel sodalis alius Instituti Familiae Calasanctianae, cum quo habeamus officialem suffragiorum communionem, accepto, singulae nostrae Communitates in memento Missae communitariae aut in precibus Liturgiae Horarum aut per alias orationes in nostro Libro Precum praevisas memoriam faciant.

95. Missis exequialibus pro nostris defunctis detur sensus commu-nitarius. Pro unoquoque sodali defuncto celebrentur:

a) tres missae a singulis sacerdotibus Communitatis;

b) una missa a singulis sacerdotibus Provinciae;

c) una missa a singulis Communitatibus aliarum Ditionum totius Ordinis

96. Suffragia communia haec sunt:

a) quolibet mense, in singulis Communitatibus una missa celebretur in suffragium omnium nostrorum defunctorum (videlicet religiosorum Ordinis nostri, membrorum Familiae Calasanctianae, eorum qui confraternitatis diploma receperunt, laicorum/laicarum qui/quae missionem nostram nobiscum participarunt, propinquorum et exalumnorum);

b) die 3 novembris habeatur missa concelebrata communitaria pro nostris defunctis et singuli sacerdotes, si fieri poterit eodem die, vel saltem quamprimum, missam pro nostris celebrent;

c) item die 3 novembris, singulis in Communitatibus, Laudes aut Vesperae defunctorum in suffragium nostrorum sodalium recitentur.

97. In obitu Summi Pontificis singulae Communitates unam missam pro defuncti anima celebrent, vel concelebrent. In obitu patris vel matris cuiuslibet religiosi, missa communitaria celebretur in Communitate cui ipse adscriptus est.
Pro propinquis et benefactoribus necnon pro confratribus nostro Diplomate munitis et pro iis qui spiritum et missionem nostros participarunt, mense novembri, in omnibus Communitatibus, missa communitaria offeratur cum Laudibus aut Vesperis Officii defunctorum.
Pro aliis membris Familiae Calasanctianae, in omnibus Communitatibus, missa communitaria, item mense novembri, celebretur.

98. Singulae Ditiones possunt, per capitulum respectivum, suffragia in favorem suorum sodalium augere.

99. Confert ad fovendum nostrum amorem erga Ordinem ut scriptae memoriae de sodalibus defunctis exarentur. Propterea respectivus Superior Maior curet ut quamprimum perspicua et brevis memoria redigatur in “Ephemerides Calasanctianae” imprimenda.

## Caput III

# DE NOSTRO MINISTERIO

100. Ordo noster suum esse desumit e munere evangelizandi ab Ecclesia sibi commisso, quare una cum tota humanitate incedit eandemque cum mundo sortem terrenam experitur, atque ipsius renovationi transformationique animo prompto operatur per promotionem integralem hominis, prout ab Evangelio postulatur.

101. Omnia igitur quae pertineant ad pueritiae et iuventutis educationem earumque evangelizationem ut nostrae christianorum educatorum vocationi -cui nos devovemus vi nostri quarti peculiaris voti- propria considerare debemus.

102. Nulla facta distinctione ex genere vel classi sociali, peculiarem curam habebimus, iuxta propensionem Calasanctii, de iis qui paupertate vel alia necessitate magis laborant. Criterium hoc magnum pondus habere debet cum Ditionis conficitur planificatio.

103. Provideatur ut, inter nos, in nostris communitatibus, omnes, et maxime pueri et

omnes vulnerabiles, protegantur a sexualibus et conscientiae et potestatis abusibus, atque ab omni explotatione.
Pater Generalis emmittet regulas ad pueros protegendos, vigentes toto in Ordine, quas Superiores Maiores legibus in Nationibus vigentibus adaptabunt et rigurose applicabunt, curam adhibentes maximam, pro eis qui talia opprobia paterentur.

104. Ministerium calasanctianum, Fundatoris exemplum sequens, educationem fide illuminatam magni facit. Propterea sodales nostri, orientationes Ecclesiae et principia quae in Constitutionibus et in documentis Ordinis proponuntur sequentes, fidem assidue vivere nitentur.

105. Actio educativa calasanctiana adiutorium peculiare confert evangelizationi; nam evangelizationis munus est processum humanae promotionis ab intra ita transformare ut conscientiae tum singulorum cum communitatis iuxta Evangelium efformentur atque culturae et fidei necnon fidei et vitae synthesis creetur, in qua nullo modo Evangelium culturae subiciatur.

106. Communitatem christianam summo studio creare conabimur, quae maxima sollicitudine semetipsam aliosque evangelizare curet, Verbum Dei proclamando illudque experiendo sua Ecclesiae adhaesione atque assidua sacramentorum receptione, quorum fastigium est SS. Eucharistia.

107. Conabimur praesentiam nostram roborare omnibus in locis, conformantes *Communitates Christianas Scholarum Piarum*, ubi religiosi,

membra Fraternitatum Scholarum Piarum atque omnes personae quae participes sunt contextus praesentiae Scholarum Piarum, valeant convenire invicem ad fidem communicandam et identitatem calasanctianam accrescendam.

108. Provideatur ut, Ecclesiae et humanae Societatis cooperatores, et mulieris dignitas, maxime per educationem in aequitate, et corresponsabilitas virorum et mulierum semper servetur in Operibus nostris.

## De pueris juvenibusque a nobis educandis

109. Nostra educativa navitas eo tendit ut alumnus aptus deveniat ad humanas exigentias et legitimas adspirationes accommodate explendas omnibus in gradibus atque ad societatem magis iustam omni conatu creandam. Quare illum idoneum efficere nititur ad partes libertate, acri studio et responsabili sensu habendas in rei publicae administratione.

110. Nobis maximae curae erit ut educandus ad plenam perveniat maturitatem psychologicam, in societatem gradatim inseratur et valores culturales critice addiscat, ita ut eosdem cum Evangelii principiis directe conferre possit ad propriam identitatem personalem et interiorem libertatem assequendas.

111. Per huiusmodi integram educationem, cum Ecclesia et societate cooperabimus ad efformandas personas, quae, doctrina christiana semper prae oculis habita, de terrena realitate iudicent, praesentem realitatem socialem percipiant, mutationes necessarias acceptent et

promoveant, atque in communitate dialogum instaurent, in quo personas revereantur earumque opiniones attente audiant.

112. Maxima adhibita reverentia erga alumnos, eosdem ad personalem occursum cum Christo adigemus. Evangelicum nuntium progressiva proponemus ratione, quae gradui evolutionis personae eiusque concretis circumstantiis respondeat.

113. Alumni nostri ad omnium valorum naturalium ac supernaturalium atque bonorum aestimationem, praesertim vero ad personae humanae dignitatem plurimi faciendam educari debent; quam quidem pietatem etiam nos in actuositate nostra circa pueros ac iuvenes educandos semper prae oculis habebimus.

## De educatore calasanctiano

114. Cum veritatis cooperatores simus, studiose attenteque percipere curabimus diversas culturae formas, quas complere nitemur valoribus quibus carent. Hac in re semper cavebimus a doctrina vel realitate cuiusvis generis removendis, nisi, eodem tempore, alias et quidem meliores introducere possimus.

115. Nostrum evangelizandi munus exigit ut nuntio, cui servimus, et personis fideles simus. Illis ergo Evangelii nuntium purum et integrum existentiali forma transmittemus.

116. Exemplum Calasanctii secuti, testimonium nostrae vitae habebimus ut primum et praecipuum medium evangelizationis, cum

huiusmodi testificatio sit silens, sed fortis sane et efficax Boni Nuntii proclamatio.

117. Fundatorem nostrum perfecti educatoris exemplar considerantes, virtutes, quas verbo et opere docuit, peculiari amore colemus. Vitae igitur simplicitatem, puritatem, humilitatem, paupertatem atque caritatem velut fundamentales dispositiones induere nitemur, ut nuntium salvationis pueris juvenibusque praecipue pauperibus efficaciter afferre valeamus.

## De institutione catechetica

118. Catechesim medium praecipuum habebimus ad Fidem suscitandam atque roborandam, ad vitam in spiritu Christi alendamet ad partes tum in mysterio liturgico cum in munere apostolico actuosas obtinendas.

119. Nobis igitur, fidelibus paedagogiae calasanctianae sectatoribus, maxime cordi erit ut catechesis alumnos ad vitam sacramentalem, praesertim ad Poenitentiam et Eucharistiam, deducat atque in iisdem amorem erga Virginem Mariam et Ecclesiam alat.

120. Quare Superiores res ita ordinent ut, qui catechistae munere funguntur, seriam praeparationem acquirant. Curabunt insuperut inter sodales nostros habeantur periti, qui assiduam in hac disciplina renovationem promovere et normas nostratibus impertiri valeant.

121. Catechesis complenda est celebrationibus Verbi Dei, Poenitentiae et Eucharistiae, in quibus signa liturgica, ministeria et character festivus

accurate serventur, ratione quoque habita de anno liturgico.
Magni insuper momenti erit pueros iuvenesque in spiritum et praxim orationis initiare, procurando apta loca,
tempora et personas pro hac actuositate,
etiam per calasanctianum orationis continuae exercitium, hodiernis conditionibus adaequate accommodatum.

122. Coetus atque sodalicia ex pueris ac iuvenibus constituemus iuxta eorum fidei responsiones. Quae sodalicia magna efficacitate impellent pueros ac iuvenes ad sese in christianum nuntium inmergendos et ad crescendum in vita orationis. Ita augebitur numerus puerorum ac iuvenum qui suam vitam ad Evangelium omni studio conformare nitentur et ambitus parabitur, in quo vocationes pro servitio Ecclesiae, ministerio sacerdotali vitaque religiosa, ad maturitatem pervenire poterunt.

123. Maxime formationem parentum alumnorum promovebimus per accommodatam curam pastoralem. Praeterea eorum permanenti formationi operam dabimus, ut efficax adiutorium in solvendis educationis problematibus afferre possint.

124. Cum evangelizationis responsabilitas praecipue sit communitatis ecclesialis, planificatio de catechesi et de toto labore pastorali perfici et periodice recognosci debet a communitate christiana Instituti, cuius erit eandem in programmationem pastoralem dioecesis atque paroeciae inserere.

## De schola calasanctiana

125. Inter media ab Ecclesia usurpata pro evangelizatione, schola, ut socialis institutio ad integram puerorum ac iuvenum formationem destinata, locus pro eadem privilegiatus exstat. Iuxta Calasanctium et traditionem nostram, schola popularis est praecipuum exercitium quo aliquo modo missio nostra constituta est et formam propriam accepit. Immo ex natura sua et ex inspiratione Sancti Patris nostri, cum charismate calasanctiano talem habet connexionem ut ubi exercitium scholarum nobis non prohibetur, ab eo recedere nobis non expediat.

126. Schola calasanctiana, in principiis christianis radicata, prout in nostris Constitutionibus definitur, et in Communitatem Educativam continuo increscens, imprimis ex iis constat personis, quae valores christianos suo testimonio in opere educationis affirmant, et illis etiam patet, qui nostrae educationis proiectum responsabiliter acceptant.

127. Ad Communitatem Educativam constituendam Ordo noster, operum de educatione promotor, suae missionis participes faciet patresfamilias, professores, functionarios et alumnos. Haec actuosa et responsabilis participatio extendi debet ad omnes formas omnesque adspectus educationis, ratione quadam progressiva, ita ut eo maior evadat quo maior gradus eorum insertionis et circumstantiae id permittant.

128. Singula nostra centra Idearium habeant, quod ideas praecipuas et qualitates seu dotes fundamentales contineat, quae regere debent universum laborem educationis uniuscuiusque

Ditionis. Idearium a respectiva Congregatione confectum approbari debet a P. Generali. In eodem exarando ratio habeatur de documentis a competentibus auctoritatibus ecclesiasticis emanatis, de nostris Constitutionibus et Regulis necnon de normis circa educationem in unaquaque natione vigentibus.

129. Communitas scholaris, Ideario prae oculis habito, concretum Proiectum Educationis conficiat a Superiore Maiore de consensu sui Consilii approbandum. Acceptatio huius Proiecti conditio praevia erit ad alumnos in centro inscribendos. Similiter omnes professores illud cognoscere et recipere debebunt ante quam contractus cum ill is conficiatur; qui insuper promittant prudenter se gesturos ne interiores conflictus, quibus forte angantur, animos discipulorum turbent.

130. In omnibus nostris Institutis christianum Nuntium explicite tradatur et manifestationes communitariae fidei habeantur. In christiana insuper scholari institutione curabimus, ut ii, qui per parentes vel per semetipsos optionem pro fide fecerint, adiutorium idoneum inveniant ad illud donum acceptandum et excolendum.

131. Initium sumentes a Communitate Educativa, a puerorum ac juvenum coetibus, etc., communitates christianas condere easque in incremento adiuvare conamur, et nitimur ut ipsae incommunione cum Ecclesia locali, cuius partes sunt, vivant. Sine dispendio congruentis curae pastoralis totius Ecclesiae localis et, si adiuncta id requirant, tamquam servitium pastorale, diebus dominicis et festis in ecclesiis nostris Eucharistiam celebrabimus, ad eam singulariter invitando membra Communitatis

Educativae et nostrarum Communitatum Christianarum. Praeterea attento Ecclesiae desiderio et traditionibus nostris prae oculis habitis, etiam diebus ferialibus alumni invitentur ad Missae participationem.

132. Ubi circumstantiae catechesim impediunt, sive de scholis nostris agitur sive de aliis institutionibus quas regimus, culturam religiosam tradere debemus una cum humana educatione Fidei cohaerente. Itemque aliquam christianam communitatem semper constituere debemus quae, testimonio suo, Instituti vitam illuminet atque fermentet.

133. Fideles interpretes spiritus Fundatoris nostri, cavebimus ne ratio docendi sit apud nos mera doctrinae transmissio, sed curabimus ut schola nostra creatrix sit et ad continuam societatis renovationem conducat. Ut talis evadat, continuo renovari et methodos ac media novissima usurpare debet ad meliores solutiones problematis educativi inveniendas.
Ut hunc finem assequamur, cognoscere debemus realitatem in quam per planificationem influxum exercere nitemur; demum de novo rerum statu aestimationem peragemus. Quae omnia, nostris temporibus, laborem per coetus requirunt.

134. Calasanctiana Schola, non regulata educatio et omnes alii missionis modi aperti sint vitae, per suam insertionem in Ecclesiam et Societatem locales. Ita opportunitatem acquirent complendi educationem formalem cum socialis communicationis mediis et aliis educandi et docendi rationibus, ut, cunctae, scholasticos ambitus redigant in domicilia culturae pueris ac iuvenibus, et localis Societatis necessitatibus plenius coadiuvent.

135. Sodalis noster admodum sollicitus sit de instituendis alumnis in otio utiliter fruendo. Praeterea, probe sciens educatoris praesentiam alio medio suppleri non posse, generose inter pueros ac iuvenes versabitur eosque ad apostolicas actuositates suscipiendas adiget.

136. Numquam in nostris et regulatis et non regulatis Institutis desit opportuna et assidua orientatio professionalis et vocationalis, quae, exigentiis evangelicis prae oculis habitis, pueros ac iuvenes adiuvet ad pleniorem cognitionem sui ipsius acquirendam, ad semetipsos acceptandos et ad suam vitam in societate et Ecclesia futuri temporis adumbrandam.

137. Inter laicos, qui consilio et opera nos adiuvant ad signa temporum interpretanda, principem obtineant locum exalumni, qui revera sincero corde nos, Ordinem et Instituta diligunt. Eorum cura, praesertim iuvenum, necessarium constituit complementum operositatis nostrae educativae, et ideo adnumeranda est inter activitates parascholasticas, a quibus praescindere nobis non licet.

138. Sodales, cum scholastica munera, actionem pastoralem et alios labores sibi commissa exercent, congrua libertate fruantur ut, integra oboedientia servata, maiore cum responsabilitate personali procedant.

139. Laici omnes qui, ministerio suo paedagogico vel qualibet alia cooperatione in communitate scholastica, in educatione a nobis tradenda partes habent, a nostratibus considerentur tamquam fratres et cooperatores. Maxime autem expedit ut eorum curam mature suscipiamus;

eos assumemus praesertim ex numero nostrorum exalumnorum eosque vigilanti studio proseguemur, quo efficaci eorum collaboratione in scholis nobis frui contingat.

140. Aequum iustumque salarium necnon praevidentiae socialis contributa, iuxta locorum et nationum leges Ecclesiaeque doctrinam, omnino solvemus, pro nostris utique viribus. Eorum quoque filios calasanctiana suscipiemus caritate et gratis, in nostris scholis, quantum fieri poterit educabimus.

141. Periodice in nostra educativa operositate aestimare et recognoscere debemus: fines, alacritatem seu sollertiam, methodos et media, valores quos trasmittimus vel iterum creamus, typum hominis quem effingere conamur necnon formas organizationis et participationis.

142. Opera nostra, servata dissimilium culturarum debita reverentia, pateant pueris et iuvenibus, sexus discrimine remoto, operam dando ut omnes congrue atque harmonice educentur.

143. Congregatio Provincialis, iuxta normas Ecclesiae, leges civiles et nostras Constitutiones ac Regulas**,** Statutum pro Institutis Educativis Provinciae conficiat, in quo definiantur iura et officia Institutionis erga Provinciam vel Communitatem, si haec est responsabilis iuridica Operis. In eo normae tradantur circa nominationes, munera et obligationes Directoris, professorum et aliarum personarum, quae in Instituto operositatem explicant. Ibique adsint praescripta circa administrationem oeconomicam. Quod valet etiam pro reliquis Ditionibus.

## De aliis actuositatibus

144. Praeter Catechesim, Scholam et Educationem non regulatam, primum fundamentum multiformis ministerii nostri, et non regulatam educationem, bona cum venia Superioris Maioris, alias quoque actuositates ut proprias assumere possumus in campo institutionis cuiusvis gradus studiorum, in campo investigationis scientiarum de educatione, sicut etiam in scholis et puerorum ac iuvenum sodaliciis, vel in iisdem spiritualiter dirigendis.

145. Convictus, ut servitium societati et familiae praestent, praesertim cum necessarii evadant propter difficiles familiarum conditiones, exigentiis hodiernis sanae paedagogiae continuo accommodari debent.
Similem curam habebimus de semiconvictibus, de adsistentia postscholari et de collegiis universitariis. In regendis supradictis magis ad efficacitatem quam ad numerum est attendendum.

146. Ecclesiae nostrae, etiam si paroeciae non sint, quendam nostri laboris apostolici campum constituunt, iuxta antiquissimam traditionem nostram. In iis igitur sacrum ministerium in bonum fidelium exercebimus, singularem curam adhibentes, ad Calasanctii mentem, in verbo Dei nuntiando, in liturgicis celebrationibus peragendis, in associationibus calasanctianis puerorum, iuvenum et adultorum promovendis, tum ad spiritum alendum tum ad apostolatum fovendum.

147. Ut Ecclesiam serviamus in omnibus eius necessitatibus, si res consulent, judicante et consentiente Congregatione Generali,

Paroeciarum spiritualis cura a Scholapiis potest acceptari. Hoc principium plene adhiberi licebit in nationibus vel regionibus, in quibus apostolatum inter iuvenes alio modo exercere non possimus.

148. Ut paroeciae nobis commissae spiritum calasanctianum ostendant, Communitas Christiana Calasanctiana et Fraternitas magnificabitur, schola puerorum et iuvenum in iisdem creabimus et peculiari sollicitudine studia et opera educativa in territorio paroeciali operantia adiuvabimus. Catechesim puerorum, iuvenum et adultorum maxima cura excolemus. Omnia demum incepta, quae ad educationem puerorum ac iuvenum praesertim pauperum spectant, sive de scholis proprie dictis agitur sive de institutionibus cuiusvis generis, fovebimus. Inter paroecias communionis vincula et conexionem servabimus.

149. Ecclesiae et pauperum appellationi semper obsequens, Ordo noster missioni "ad gentes" magno animo servit per suum charisma. Ideoque sodales et laicos Ordini astrictos mittit ad populos, qui educatione evangelizante magis egent, subveniendos.

150. Ut efficacius gubernetur intra Ditionem, Superior Maior adiutorium Secretariatuum eiusdem Ditionis quaerere poterit, vel etiam alia organa constituere, quae sibi praesto sint in hoc munere obeundo.

151. Superiorum Maiorum, ut responsabilium Operum, erit orientare, approbare et recognoscere eorumdem actuositatem.

**Caput IV**

# DE CURA PASTORALI VOCATIONUM ET FORMATIONE SODALIUM

152. Etsi vocatio religiosa est donum Dei, nos, enixis precibus, fidelitate in nostra vocatione, pastorali actuositate atque communitario gaudio, impetrare conamur ut Ipse operarios in messem nostram mittat. Ordinis vitalitas et accommodata renovatio a novarum vocationum ac sodalium recta et continua institutione maxime pendet.

153. Ut hoc principium in rem deducatur, actio formationis, diversis vitae periodis respondentis, excolenda erit. Subsequentia spatia itineris formationis sodalis Scholarum Piarum sunt:

    a) initia itineris vocationalis;

    b) formatio initialis, tribus in periodis: prae-novitiatus, novitiatus et studentatus;

    c) formatio continua.

    Pro singulis istis formationis periodis, Ordo Directorium Generale respectivum habet.

154. Singuli religiosi et singulae Communitates sese responsabiles sentire debent de vocationibus suscitandis ac pastorali navitate excolendis. Quare, praeter christianam formationem et orientationem vocationalem, quas, per exercitium sui apostolici ministerii, pueris ac iuvenibus praebere tenentur, adulescentes, qui vocationem incipientem ostendant, tum singulatim cum per coetus peculari cura prosequantur.

155. Religiosi omnes Superiorem Maiorem in promovenda actione pastorali vocationali adiuvare tenentur. Superioris Maioris autem una cum suo Consilio erit:

a) Domos Formationis aliasque structuras ad vocationum maturationem aptas creare;

b) nonnullos religiosos, qui formatores sint in diversis formationis periodis, parare;

c) rationes rerum in campo pastorali et institutionis gerendarum, quae dirigere et moderari valeant actionem pastoralem vocationalem, redigere, in quibus, inter alia, de formatione ad vitam calasanctianam et de programmatibus studiorum pro omnibus periodis inde a tempore, quod ingressum in Ordinem praecedit, usque ad formationem permanentem inclusam, agatur.

Huiusmodi Rationes Ditionis vel Domorum confici debent iuxta Directoria Generalia Ordinis, et approbatione Congregationis Generalis indigent.

156. Ad opus vocationum in Ordine nostro constituendum, Superiores Maiores coordinatores

actionis pastoralis vocationalis nominent pro universa sua Ditione et singulis Domibus; qui in consodalibus conscientiam de sui ipsorum responsabilitate vocationali creare nitantur et iis, qui in campo vocationali laborant, praebeant orientamenta, imagines, libros aliasque res opportunas, ad cognitionem S. Fundatoris missionisque nostrae promovendam. Ad hunc finem singulae Ditiones, in annua praevia aestimatione, pecuniarum summam destinabunt. Expedit ut P. Generalis Delegatum Rei Pastoralis Vocationalis pro Ordine universo nominet.

## De sedibus formationis et de formatoribus

157. Candidatorum institutio quoad novitiatum et studentatum peragenda est in Domibus ad hunc finem deputatis. Ad Supremum Moderatorem, de consensu sui Consilii, pertinet Novitiatum et Studentatum, sive ditionales sive interditionales, per decretum scripto datum, erigere, transferre et supprimere. Idem P. Generalis, de consensu sui Consilii et audito P. Provinciali cuius interest, permittere potest, si necessitas id exigat, ut plures novitiatus in eadem Provincia constituantur.

158. Domus Formationis possunt esse ditionales ac interditionales et aptari Directorio Generali Formationis Initialis Ordinis debent. Domus Formationis stricto sensu interditionales immediate subiace re Patri Generali vel Superioribus Maioribus implicatis queunt. Ad formationis efficaciam securam reddendam, pro posse actioni formationis principaliter dicatae manebunt. Domus Formationis Ditionales maneant apertae aliarum Ditionum necessitatibus. Domus Novitiatuum et

Studentatuum Interditionalium regentur Statuto a P. Generali de consensu sui Consilii lato, in quo modus subiectionis, sive P. Generali sive Superioribus Maioribus, explicite appareat.

159. Magister Novitiorum et Magister Studentium proprie dicti nominentur a Congregatione Provinciali, cum “nihil obstat” Congregationis Generalis; in Viceprovinciis dependentibus vero prius audiatur Congregatio Viceprovincialis. In Domibus Interditionalibus nominabuntur iuxta ipsarum Statutum. Nominentur autem ad quadriennium, quo durante sine iusta causa ne removeantur, sed, eo exacto, rursus nominari valent. Ad eos una simul cum propriis formationis coetibus spectant ordinatio et regimen vitae candidatorum. Quoad cetera, quae totam Familiam communiter tangunt, ipsi et alumni Superiori Domus obnoxii sunt.

160. Curent Superiores Maiores ut sodales praeparati ad munera Magistri Novitiorum et Studentium, necnon sodales in omnibus charismatis nostri ambitibus rite competentes, adsint in singulis Ditionibus. Sodalib us istis incumbit officium in dies perficiendi praeparationem propriam et peculiarem.

161. Si ob formandorum numerum vel aliam iustam causam expedire videatur, a Superiore Maiore immediato, de consensu sui Consilii, Magistro adiungatur Socius.
Ad eundem Superiorem Maiorem immediatum pertinet nominare docentes Domorum Formationis.

162. Candidati, disciplinae gratia, possint exercere vocationem futuram comitandi atque serviendi,

secundum Scholapia principia in curriculo formativo exposita: servitium imprimis pro ultimis, sympathiam ad pauperes, in missionem et vitam communem sui deditionem, ingenium ad se constanter educendum, vitae veritatem, dispositionem sui comitandi, clericalismum et saecularismum superandos, prudentiam in protectione puerorum, laborem communiter suspectum.

## De Adspirantatu et Prae-novitiatu

163. In singulis Ditionibus, Adspirantatus vel alia Centra vocationalia constituantur oportet, locorum conditionibus respondentia, in quibus candidati, qui, saltem in spe, vocationis signa ostenderint, sub magisterio sodalis Scholarum Piarum experientia praediti, instituantur ut vocationem suam discernant et evolvant.

164. Superiorum Maiorum erit, magna cura, praeparare Communitates aptas ad recipiendos adulescentes et iuvenes, qui velint in ipsis experientiam instituere de nostra vita nostroque ministerio, ante quam ad decisionem deveniant.

165. Candidati ad novitiatum perficiant studiorum curriculum in propria natione praescriptum ad superiora studia ineunda. Qui ad sacerdotium non adspirant saltem scholas pro omnibus in sua natione statutas absolvant oportet. Habeatur tamen ratio de singularum regionum conditionibus, a Superioribus Maioribus iudicandis.

166. In nostro Instituto, Prae-novitiatus, uti praeparatio ad Novitiatum necessarius est;

cuius ratio, locus et tempus, candidatorum necessitatibus prae oculis habitis, a respectivo Superiore Maiore iuxta Directorium Generale pro formatione statuenda sunt. Hoc temporis spatio, prima habet ut candidatus perveniat ad tempestivam maturitatem humanam et christianam ad novitiatum inchoandum.

167. Hoc stadium, ut efficax evadat, ne sit nimis breve et fiat sub moderamine religiosi periti a Superiore Maiore nominati. Tempore prae-novitiatus, adulescentes studiis vacare possunt. Ubi adest Adspirantatus rite ordinatus, potest Superior Maior rem ita disponere, ut ultimus annus vel notabilis eiusdem pars, uti Prae-novitiatus ad formationem destinetur.

168. Superior Maior vel alius ab eo delegatus prudentissime exquirat an candidatus ad Novitiatum sanitate psychologica fruatur, expers sit impedimentorum et sufficientem maturitatis gradum possideat ad vitam religiosam ineundam, necnon an omnia documenta iure requisita habeat.

169. Impedimenta quae prohibent quominus candidati, nisi dispensatio adsit, admittantur, hic sequuntur:

1º Invalide ad Novitiatum admittuntur:

a) qui decimum septimum aetatis annum nondum compleverit;

b) coniux durante matrimonio;

c) qui sacro vinculo cum aliquo Instituto vitae consacratae actu obstringatur vel in aliqua

Societate vitae apostolicae incorporatus sit, nisi agatur de transitu ad nostrum Ordinem;

d) qui Ordinem ingrediatur vi, metu gravi aut dolo inductus, vel is quem Superior eodem modo inductus receperit;

e) qui celaverit suam incorporationem in aliquo Instituto vitae consacratae vel in aliqua Societate vitae apostolicae;

f) qui in aliquod delictum incurrerit ob quod ab Ordine ipso facto dimissus esset vel dimitti deberet, nisi prius clare constet de eius emendatione et conversione;

g) ille cui immineat poena ob grave delictum commissum, de quo accusatus sit vel accusari possit, in foro sive ecclesiastico sive civili.

2º Illicite ad Novitiatum admittuntur:

a) episcopus, inconsulta S. Sede;

b) clerici saeculares, inconsulto proprio ipsorum Ordinario;

c) aere alieno gravati, qui ad solvendum pares non sint;

d) reddendi rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotii simplicati, ex quibus lites aut molestiae oriri possint;

e) filii qui parentibus aliisve familiaribus opitulari debeant et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

f) ad sacerdotium in Ordine destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

g) qui aperte militent pro aliqua factione politica vel qui actu eidem adscripti maneant.

3º Impedimenta minus gravia quae omnino a nostro Ordine petentem non excludunt, sunt: notae seu defectus quae efficacitati nostri ministerii forte obstent.

## De Novitiatu

170. Novitiatus incipit ritu Initiationis Vitae Religiosae in nostro Rituali contento, a Superiore Maiore vel ab eiusdem delegato peragendo.

171. Candidati, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus saltem per quinque integros dies vacent.

172. Novitiatus, ut validus sit, peragi debet in Domo ad hoc rite designata. Ad validitatem requiritur quoque ut Novitiatus duodecim menses in ipsa Novitiatus Communitate peragendos complectatur. Superior Maior permittere potest ut novitiorum coetus per certa temporis spatia, in alia Ordinis Domo canonica, a se designata, commoretur. In casibus peculiaribus et ad modum exceptionis, ex concessione Moderatoris Supremi, de consensu sui Consilii, candidatus Novitiatum peragere potest in alia Ordinisi Domo canonica, sub moderamine alicuius probati sodalis sacerdotis, qui vices Magistri Novitiorum gerat.

173. Absentia a Domo Novitiatus, quae tres menses, sive continuos sive intermissos, superet, novitiatum invalidum reddit.

Absentia, quae quindecim dies superet, suppleri debet.

174. Qui in Novitiatum admittitur documentum coram testibus subscribat, quo expresse declaret se nullam mercedem vel compensationem expetiturum Ordinem si unquam contigerit ut Ordinem, qualibet de causa, deserere debeat.

175. In Novitiatu, praeter optionem pro sacerdotio, eadem institutio pro omnibus habeatur in iis quae ad humanam, christianam, religiosam et calasanctianam formationem attinent, iuxta Directorii pro formatione normas.

176. Novitiatus, quo vita religiosa in Instituto incipitur, ad hoc ordinatur, ut novitii sub moderamine Magistri vocationem divinam, et quidem Ordinis nostri propriam, melius agnoscant, vivendi modum Ordinis experiantur eiusque spiritu mentem et cor informent, atque ipsorum propositum et idoneitas compro bentur.
Hoc temporis spatio, prima habet ut novitius instituatur in nova sodalis Scholarum Piarum identitate spirituali atque charismatica.

177. In nostram vivendi formam novitii introducantur per consiliorum evangelicorum et vitae communitariae praxim necnon per studium vitae S. Fundatoris et Historiae Ordinis, Constitutionum et Regularum, traditionum ac necessitatum hodiernarum Instituti nostri.

178. Tempus novitiatus in opus formationis proprie impendatur, ideoque novitii ne occupentur in aliis studiis vel muniis.
Nihil tamen prohibet quominus novitii in disciplinas, artes, linguas -praesertim latinam- aliquantulum incumbant.

Tempore novitiatus vetantur studia, quae ad consequenda diplomata fiant.

179. Integrum spatium temporis, quod novitii exercitationis apostolicae causa extra novitiatus communitatem peragunt, non computatur in duodecim mensibus, qui ad validitatem tamen novitiatus requiruntur; totius novitiatus sic amplificati tempus duos annos ne superet.

180. Novitii omnia munera et labores sibi iniuncta sub moderamine et vigilantia Magistri Novitiorum exsequantur. In iisdem suscipiendis et gerendis quaeratur candidatorum formatio, non vero Domus emolumentum.

181. Ad institutorium processum novitiorum ponderandum eorumque vocationem melius discernendam, Superior Maior vel eiusdem delegatus novitios visitet ter saltem in anno. Magister, ante hanc visitationem quadrimestrem, de singulorum novitiorum progressu Superiori Maiori relationem exhibeat. Si agatur de novitiatu interditionali, hae notitiae secundum Statutum proprium mittantur.

182. Novitius potest Ordinem libere deserere. Item Superiori Maiori licet eum dimittere. Exacto Novitiatu, si idoneus iudicetur, novitius ad professionem simplicem admittatur, secus dimittatur.
Si dubium supersit de eius idoneitate, potest probationis tempus a Superiore Maiore, non tamen ultra sex menses, prorogari.

183. Novitii, ante professionem simplicem, Superiori Maiori petitionem in scripto deferant, in qua, expressis verbis, testimonium ferant de sua ad

statum religiosum vocatione, simulque rectam intentionem ac firmum propositum pandant sese statui regulari mancipandi. Petitio haec et declaratio in Archivo servetur.

184. Ante professionem votorum simplicium, novitius debet, ad totum tempus quo votis adstringatur, bonorum suorum administrationem, usum et usufructum cedere cui maluerit.
Testamenti condendi, si quando adsit, obligatio, ad tempus, quod immediate vota sollemnia praecedit, transferri potest.
Ad has dispositiones iusta de causa mutandas et ad quemlibet actum circa bona temporalia ponendum, professus a votis simplicibus licentia Superioris Maioris indiget.

185. Superioris Maioris est, de consensu sui Consilii, novitium ad professionem simplicem admittere. In Domibus autem Ditionalibus, antequam ad scrutinium pro admissione ad professionem deveniatur, ipse Superior Maior ore tenus vel scripto exponat relationes a formatoribus acceptas, una cum voto consultivo Communitatis ipsius novitiatus. In Domibus vero Interditionalibus iuxta proprium Statutum est agendum.

186. Ad validitatem professionis simplicis requiritur ut:

a) qui eam emissurus est decimum saltem octavum aetatis annum compleverit;

b) Novitiatus valide peractus sit;

c) habeatur admissio a Superiore Maiore, de consensu sui Consilii, libere facta;

d) sit expressa et absque vi, metu gravi aut dolo emissa;

e) a Superiore Maiore per se vel per alium recipiatur.

187. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per quinque saltem solidos dies.

188. Expleto novitiatus tempore, Novitii professionem ad annum emittant, quam deinde quotannis usque ad professionem sollemnem renovabunt, iuxta normas in n. 201 traditas.

189. Superiores Maiores, iusta de causa, permittere possunt ut simplex professio extra Domum Novitiatus emittatur et anticipetur, non tamen ultra quindecim dies, dummodo candidatus decimum octavum annum iam compleverit.

190. Documentum professionis simplicis eiusque renovationum duplici exaretur exemplari, quorum alterum in archivo Domus in qua emittitur, alterum vero in archivo Provinciae servetur; utrumque exemplar subscribatur ab emittente, a Superiore qui professionem recepit et a duobus testibus, atque muniatur Domus sigillo.
In Viceprovinciis dependentibus, in Vicariatibus Provincialibus et in Novitiatibus Interditionalibus, tripli ci exemplari conficiatur.

191. Professio simplex eiusque renovatio recipiantur a Superiore Maiore vel eius delegato iuxta nostrum Librum Ritualem.

192. Novitii et professi a votis simplicibus iisdem fruuntur privilegiis, quibus gaudent professi a

votis sollemnibus et, si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent.

## De Studentatu

193. Studentatus intelligitur spatium temporis sex saltem annorum, quo durante, candidati nostri, in Domo ad hoc legitime designata, studia praesertim philosophica et theologica perficiunt. In hoc temporis spatio, pro formatione charismatica, prima habet ut Junior cumulet summam vitae nostrae religiosae, communitariae et apostolicae, necnon compleat formationem humanam, spiritualem et calasanctianam per idoneum comitatum.

194. Propter singularem responsabilitatem in formandis iunioribus sive ad statum clericalem destinatis sive non, huiusmodi formatio perficiatur in Domo ad id specialiter constituta et sub moderamine Magistri Studentium, qui eosdem instituat ad vitam religiosam et calasanctianam iuxta normas in Directorio pro institutione et in respectiva Ratione Ditionali institutionis contentas.

195. Ad optatam religiosam institutionem assequendam oportet ut formatio in Novitiatu incepta accurate in Studentatu continuetur.

196. Qui ad diaconale vel sacerdotale munus vocantur, magna cum diligentia ac sollicitudine statutum studiorum curriculum in Formationis Domo proprie dicta vel in alia studiorum sede recte ordinata peragant et adaequatam praeparationem pastoralem accipiant. Superior Maior rarissime concedat ut aliquis ex iis simul vacet disciplinis

in curriculo theologico non contentis. Pro iis vero qui statum clericalem inire non intendunt, habeatur peculiare curriculum theologicum. Hoc tempore studiorum et formationis perdurante, candidatis officia et opera ne committantur, quae eos a fine principali assequendo impediant.

197. Superiores curare debent ut omnes sodales nostri studiis universitariis dent operam, aut saltem aliquam peculiarem peritiam technicam consequantur, quae ministerio nostro utilis sit. In doctrinali istitutione maximi momenti est praeparatio psychologica, paedagogica, catechetica et sociologica, qua sodales ad ministerium calasanctianum idonei efficiantur.

198. Iuniores responsabiles se sentiant de ipsa communitate in qua vivunt creanda; nec tempus suae formationis velut periodum transitoriam considerent, sed potius opportunum temporis spatium ad Ordinem construendum et dynamice renovandum, quoad vitam apostolicam aptiores fiant. Memores esse debent se, cum docendi votum emiserint, addiscendi debitum contraxisse, et ideo studia cum pietatis ardore ita coniungant ut alterum alteri emolumento esse possit.

199. Semel saltem in anno, Magister de rebus ad studentatum pertinentibus atque de singulis studentibus scripto referat Superiori Majori, qui, per se vel per delegatum, super vita, moribus et doctrina studentium visitationem instituat.

200. Prorogationem votorum et admissionem ad sollemnem professionem candidatus scripto postulet a Superiore Maiore.

201. Iuniorem ad renovationem votorum admittit proprius SuperiorMaior. Antequam tamen eum admittat, opportunas requirat informationes et sive Communitatem sive suum Consilium audiat. Si de studentatu interditionali stricto sensu agitur, normae serventur quae in eiusdem Statuto continentur.

202. Professus a votis simplicibus, expleto votorum tempore, libere potest Ordinem deserere. Similiter Superior Maior, ob iustas et rationabiles causas et suo Consilio audito, eumdem potest a renovandis votis vel ab emittenda professione sollemni excludere postquam tamen fraterna correctio frustra temptata fuerit.

203. Ad validitatem professionis sollemnis, praeter ea quae in n.186, c), d), e) recensentur, requiritur:

a) vigesimus primus saltem aetatis annus completus;

b) praevia professio simplex, saltem per triennium, salvo praescripto n.204.

204. Professio sollemnis anticipari potest ex iusta causa, non tamen ultra trimestrem, dummodo candidatus vigesimum primum aetatis annum iam compleverit.

205. A votis simplicibus, ad preces religiosi, dispensat Supremus Moderator de consensu sui Consilii. Idem Superior Generalis dimittere potest professum, qui quolibet modo dignus non habeatur ad vota sollemnia nuncupanda.

206. Infirmitas physica vel psychica, ante professionem dolose reticita vel dissimulata,

immo etiam post professionem contracta, quae, de iudicio peritorum, sodalem reddit ineptum ad vitam in Ordine ducendam, causam constituit eum non admittendi ad professionem renovandam vel ad sollemnem emittendam, nisi ob negligentiam Ordinis vel ob laborem in Ordine peractum contracta fuerit.
Si vero religiosus, durantibus votis simplicibus, amens evaserit, etsi professionem simplicem renovare et sollemnem emittere non valeat, ab Ordine dimitti non potest.

207. Qui, expleto novitiatu vel post professionem legitime ab Ordine egressus fuerit, a Praeposito Generali de consensu sui Consilii rursus admitti potest sine onere repetendi Novitiatum; eiusdem autem supremi Moderatoris erit determinare congruam probationem praeviam professioni simplici et tempus votorum ante professionem sollemnem praemittendum, servato tamen nn.115 Constitutionum et 204 Regularum praecepto.

208. Sub responsabilitate Superioris Maioris, candidati, ante professionem sollemnem, per tempus satis longum, saltem per mensem, in peculiarem praeparationem incumbant, qua durante in sacro recessu et oratione, ab omnibus aliis occupationibus, in quantum possibile sit, liberi, animum praeparent ad sui ipsius perpetuam consecrationem Domino complendam. Exercitia spiritualia pro immediata praeparatione sunt peragenda per octo saltem solidos dies.

209. 1º Professus a votis simplicibus, ut tamquam semel et in perpetuum pauper in Ordinem nostrum recipiatur, ante professionem sollemnem, si antea non confecerit, testamentum, etiam iure civili valiturum, condat,

omnibus bonis et iuribus oeconomicis suis actualibus personaliter renuntiando in favorem illius, qui sibi placuerit, et heredem universalem eorum, quae tempore futuro accipere possit, Ordinem (Provinciam...) instituendo.

2º Ii, qui tempore opportuno non confecerint, id facient quam primum iure civili validum iuxta ius universale.

3º Professus a votis sollemnibus capacitatem bona materialia acquirendi, possidendi, administrandi et alienandi amittit; ideoque actus voto paupertatis contrarios invalide ponit, et quidquid acquirit, Ordini acquirit.

210. Nihil prohibet quominus, in emittenda professione, sodalis aliquas expressiones personales addere possit, dummodo eidem professioni non contradicat nec conditionem ullam apponat. Formula tamen professionis integra, indivisa atque in praeminenti loco collocata maneat.

211. Documenti professionis sollemnis tria exarentur exemplaria authentica -munita subscriptionibus de quibus in n. 190, quae asservari debebunt in Archivis Locali, Ditionali et Generali.

212. Professus a votis sollemnibus amittit, ipso iure, propriam dioecesim quam in saeculo habebat. Superior professionem sollemnem recipiens curet ut parochus baptismi de eadem certior fiat. Item Superior Maior in sua Ditione aut Superior Maior, sub cuius immediata iurisdictione habetur Studentatus Interditionalis, cum ad ordines sacros litteras dimissorias dederit, de recepto Ordine eumdem parochum per se vel per alium, ad normas iuris, moneat.

213. Superiores Maiores ad Ordines sacros neminem admittant quam diu de eiusdem moribus religiosis, de aptitudine ad diaconatum vel ad sacerdotium et de profectu in studiis per accuratum examen sibi non constiterit. Si vero gravia dubia circa candidati mores et aptitudines persistant, a sacris ordinibus arceatur.

214. Solummodo professus a votis sollemnibus potest ad Ordinem sacros admitti. Qui ad Ordines sacros adspirant, ante professionem sollemnem, testificationem ad normas Ecclesiae praestent.

## De formatione permanenti

215. Nostra vita consecrata exigit ut magna navitate et acri studio continenter nostrae vocationis maturationem persequamur, rationem agendi revera evangelicam coram hodiernis socieatis mutationibus adhibeamus et, continua nostrae vitae renovatione, pueros ac iuvenes ad nostras communitates ingrediendas et ad nostras apostolicas actuositates suscipiendas alliciamus. Ad tribus istis postulatis plene respondendum, serio debemus de formatione cogitare, obsequentes directiones Directorii pro Formatione Permanenti. Quae personale atque irrenuntiabile propositum singulorum esse debet, quod nos servet et renovet in vocatione nostra calasanctiana.

216. Ut christiani educatores, obligatione tenemur vivendi in statu permanentis formationis, qua adigamur ad continuum augmentum in fide, ita ut vitam nostram Christi exemplis ac doctrinis accommodare conemur, signa temporis sedulo consideremus, charisma calasanctianum studiose exploremus nostraque vita quotidiana

exprimamus, atque omnes difficultates christiano spiritu superare nitamur.

217. Responsabilitas formationis permanentis, quae ad singulos religiosos pertinet, assumenda est ut propria a sodalibus Communitatis. Hi autem, scientes ambitum Communitatis esse locum proprium talis formationis, conditiones eidem favorabiles creare debent.

218. Ministerium nostrum inter pueros ac iuvenes exigit a nobis ut continuo renovemur acceptando valores evolutionis culturalis ac progressus scientiarum de educatione et usum systematum aptiorum ad reformationem societatis promovendam. Praecipue vero necesse est ut, modis semper novis, actuositatem pastoralem in dies efficaciorem reddamus, maxime in catechesi tradenda et in coetibus puerorum ac iuvenum spiritualiter dirigendis.

219. Superiores Maiores systematice curent ut sodales nostri studiis universitariis dent operam vel diplomata congruentia, alio modo, obtineant atque peculiarem peritiam technicam acquirant in arte pastorali non solum pro pueris ac iuvenibus, sed etiam pro alumnorum parentibus et professoribus laicis.

220. Uniuscuiusque Ditionis Congregatio, initio sui regiminis, planificationem conficiat de formatione permanenti suorum sodalium iuxta Directorii pro Formatione Permanenti praescripta.

221. Officio ineunte, Superiores Maiores religiosum eligent qui religiosos adultos iuvenes primis sex annis post Professionem Solemnem comitetur.

**Caput V**

# DE ORGANICA ORDINIS NOSTRI DISPOSITIONE

## De sodalibus

222. Prima professione sodales Ordini incorporantur, in quo iuribus gaudent et obligationibus tenentur tam iure universali quam iure proprio statutis.

223. Religiosus in prima professione nomen religionis sibi placitum assumat. Dein in scriptis et documentis, quantum fieri possit, monstret saltem per siglas (*Sch.P.* vel *S.P.*) Scholarum Piarum se esse sodalem.

224. Ratio collocationis inter sodales, quando necessaria sit in officialibus actibus, pendet a professione simplici et a munere Superioris, durante munere. Semper autem et ubique urbanitatis ac mutuae reverentiae ratio habeatur.

225. Religiosi, in coetus ad normam iuris coadunati, Communitates Locales efformant, quae nuclei Ordinis fundamentales exstant, domicilium constituentes in Domibus religiosis legitime

erectis. Ex eorum coniunctione, iuxta iuris praescripta, communitates superioris gradus, nempe Delegationes Generales, Vicariatus Provinciales, Viceprovinciae et Provinciae exsurgunt, respective constitutae ex Communitatibus suis. Omnes hae Ditiones operam consociant debito modo in territorio propriarum Circunscriptionum. Ex unione vero omnium Communitatum omniumque membrorum, congruis structuris adhibitis, Communitas Generalis seu Ordo Scholarum Piarum constituitur. Ordo inter Ditiones et Domos desumitur ex prioritate erectionis. Si adsit diversarum Ditionum fusura, nova nascens Ditio primum locum historicum antiquioris illarum conservat.

226. Quilibet religiosus alicui Provinciae vel Viceprovinciae independenti incardinatus esse debet, sive per emissionem votorum, sive per concordatam incardinationem subsequentem. Nemo invitus a propria Provincia vel Viceprovincia independenti excardinari potest, nisi P. Generalis, pro bono Ordinis, aliter disponat.

227. Consodales omnes alicui Domui seu communitati adscripti esse debent. Novitii Domui, in qua degunt, adscripti censentur. Quoad participationem congressuum familiae ex parte studentium simpliciter professorum, iuxta n. 350,1º procedatur.
Novitii vero, si Superiori una cum Magistro bene visum fuerit, poterunt ut auditores congressibus familiae interesse.

228. Nisi aliter in Constitutionibus et Regulis expresse dicatur, in suffragiis ferendis seu votationibus habendis, solummodo sollemniter

professi alterutra aut utraque voce, activa nempe et passiva, gaudere possunt.

229. Adscriptio obtinetur per legitimum mandatum, etiam ore tenus coram duobus testibus datum, vel per litteras oboedientiales legitimi Superioris Maioris. Et, nisi aliud expresse dicatur, inde ab ipso mandato vel a praefatae oboedientiae subsignato die, sodalis in nova sua mansione omnia obtinet iura, quibus in anteriore gaudebat.

230. 1º Si quis oboedientiae merito inscribitur cuilibet aliae Provinciae, Viceprovinciae independenti, vel Delegationi Generali aut adscribitur Domui Generalitiae, incardinationem in propria Ditione non amittit. Superioribus vero Maiori et Locali novae residentiae in omnibus subest, ibique ipso facto, ad normam n. 229, omnibus iuribus gaudet et obligationibus tenetur, nisi aliter legitime et expresse dicatur.

2º Litteras oboedientiales, de quibus supra, solus P. Generalis dare potest. Quae, si adjuncta hoc petunt, aliquoties ad tempus definitum dari poterunt; quo elapso, ipso iure renascentur usquedum P. Generalis novam det oboedientiam.

3º Religiosi qui in Delegatione Generali commorantur, vocem passivam ad munera Provincialis et Ad sistentis Provincialis in propria Provincia non amittunt; sed ut electio vel nominatio effectum sortiatur, requiritur semper "nihil obstat" Congregationis Generalis.

231. Si quis de mandato sui Superioris vel alia legitima ratione in aliqua nostra Communitate, modo tamen transitorio, degit, *hospes* consideratur; Communitati vero, unde profectus est, adscriptus

manet cum omnibus iuribus et obligationibus. Tempore quo in actuali Communitate vivit, sese submittere debet Superiori Locali in iis quae ad disciplinam communem et orationis exercitia spectant, exceptis iis quae munera sibi commissa forte impediant.
Nisi Superior Localis, modo singulari, aliter statuat, hospes potest congressibus familiae adesse, in quibus voce sine voto gaudet.
Quoad oeconomiam, Superiores duarum Communitatum statuant quomodo agendum sit.
Nostrae Communitates spiritum hospitalitatis erga omnes semper colant; religiosi autem hospites huic fraternitati pergrati collaborent.

232. Quantum fieri possit, nullum munus alicui imponatur, inconsulto ipso religioso.

233. Superior Maior, consentiente suo Consilio, cum necessaria inquisitio confecta esset, poterit laicos spiritualitatem Scholarum piarum et missionem exhibentes accipere, sicut *aggregatos*, in vitam communem et opus. Sponsi, aut una cum filiis aut soli, accipiantur quoque, vindicatis autonomia et suis legibus vivendi potestate, et eorum participatio intra communitariam vitam definiatur approbatione Superioris Maioris cum eius Consilio. Ut difficultates desint, subscribant foedus, temporale et renovabile, aggregatus et Superior Maior, ubi condiciones admissionis et egressus aut dimissionis explicitentur, civilibus legibus semper salvis, id est, cum validitate civili. Superiori Maiori liceat aggregatum Communitatis consiliis participem facere. Aggregatus autem adscribatur Communitati eiusdem habitationis.

234. Laici, singuli vel variis associationibus christianisque communitatibus adunati et

spiritus calasanctiani participes effecti, ipsum ditiorem reddunt tum vita laicali quam ducunt, tum adiutorio quod nostro apostolatui praestant, spiritualitatem et missionem nostram variis modis participantes. Superiores Maiores, in sua quisque Ditione, associationes istas iuxta generalia, hac in re, Ordinis orientamenta enixe promoveant atque coordinent.

235. 1º Fraternitatum Scholarum Piarum ortum et consolidationem Ordo foveat. Scholarum Piarum Fraternitas constituitur cumulo fidelium christianorum parvis in communitatibus consociatorum ad charisma Scholarum Piarum (spiritualitatem, missionem et vitam) vivendum, unusquisque secundum propriam vocationem laicam, religiosam vel presbyteralem. Fraternitas, igitur, est fidelium societas charismati Scholarum Piarum insita, uti talis ab Ordine Scholarum Piarum recognita.

2º Scholarum Piarum religiosi, cum licentia semper Superiorum Maiorum, poterunt participes fieri Fraternitatum Scholarum Piarum.

3º Ditiones et Ordo, instituent cum Fraternitatibus Scholarum Piarum necessarias relationes institutionales ad fovendam vim propriam integrationis charismaticae et compellendum incrementum charismatis et missionis Scholarum Piarum.

236. Promoveantur a Ditionibus ordinatio et evolutio participationibus in Scholiis Piis:

a) Rationes ad formandos eos in cooperationis via in Scholarum Piarum identitate incipiente et permanente.

b) Rationes ad promotionem missionis communicatae in omnibus praesentiis.

c) Rationes ad implementanda proiecta in praesentia cum sociis idoneis.

d) Conferentiae et conventus ad magis augendum et collaborandum, inter Ditionem et Fraternitatem aut alias societates Scholarum Piarum.

237. P. Generalis per se vel ad petitionem alicuius Superioris Maioris personis, quae in Ordinem nostrum amore et beneficiis bene meritae fuerint, Diploma Confraternitatis concedere poterit. De huius collatione, singulis annis, Superiores Maiores P. Generalem certiorem facere debent. Qui Diploma acceperint, beneficiorum spiritualium Ordinis sunt participes. In singulis Ditionibus elenchus eorum, quibus illud concessum est, habeatur.

238. 1º Sodales, qui in peculiaribus conditionibus iuridicis inveniun-tur, possunt esse:

*a)* *Legitime absentes*: qui per rescriptum Superioris Maioris, ad normam can. 665, par. 1, extra domum legitime habitant iuxta conditiones in licentia scripta expressas.

*b)* *Illegitime absentes:* qui, absque Superioris debita licentia, e Domo religiosa discesserunt cum animo sese subducendi a potestate Superiorum vel qui, tempore legitimae absentiae transacto, permanentiam extra domum indebite protrahunt. Animus sese subducendi a Superiorum potestate praesumitur transactis quindecim diebus ab

eius discessu, vel post mensem ab expleto tempore concesso.

c) *Exclaustrati:* sollemniter professi qui, indulto P. Generalis vel S. Sedis obtento, vel a S. Sede imposito, extra Domum ad tempus commorantur, itemque sub dependentia et cura manent suorum Superiorum et etiam Ordinarii loci, ad normam iuris.

d) *In dioecesim ad experimentum recepti:* clerici sodales, sollemniter professi, qui a S. Sede impetraverunt indultum ab Ordine discedendi et Episcopum receptorem ad experimentum invenerunt. Tempore experimenti, sub dependentia et cura Ordinarii loci manent; obligationes vero et iura ex professione orta suspenduntur.

e) *Religiosi in transitu ad aliud Institutum:* professi a votis sollemnibus qui, ad normam iuris, indultum ad aliud Institutum religiosum transeundi impetraverunt. Tempore probationis, quae professioni perpetuae in novo Instituto emittendae praecedere debet, suspenduntur iura et obligationes, quae sodales in nostro Ordine habebant, manentibus votis. Per professionem in novo Instituto, sodales eidem incorporantur, cessantibus votis, iuribus et obligationibus praecedentibus.

Pro transitu ad Institutum saeculare vel ad Societatem vitae apostolicae, eaedem serventur normae, salvis specialibus S. Sedis mandatis.

2º Superiores ne permittant subditos in statu iuridice non claro versari, sed iuris praescripta omnino observent.

239. 1º Voce activa et passiva ipso facto privantur, gaudent tamen privilegiis Ordinis mere spiritualibus:

a) Exclaustrati, in Dioecesim ad experimentum recepti et qui probationem in alio Instituto inchoaverint.

b) Qui, ad normam iuris, petitionem iam praesentaverint transeundi ad aliud Institutum, vel impetrandi indultum exclaustrationis vel dispensationem a votis, vel, si sint clerici, dispensationem a clericali coelibatu aut indultum transeundi ad aliquam Dioecesim.

c) Absentes a Domo religiosa, etiam de licentia Superioris Maioris, ad solvenda dubia vocationis suae.

d) Qui Ordinem illegitime reliquerint vel extra illum ultra tempus concessum vivant.

2º Qui extra Communitatem commorantur propter alias causas et de licentia legitime a Superioribus concessa, omnibus iuribus et privilegiis fruuntur.

240. Si quando Superior -quod tamen raro fiat- religioso mandatum in virtute sanctae oboedientiae dederit, quod sodalis exsequi recuset, dialogus instituatur: qui si incassum cesserit, procedatur ad normam canonum 696-701.

## De Communitate Locali

241. In qualibet Communitate, ad fines vitae nostrae assequendos, structurae materiales et iuridicae

aptae requiruntur. Centrum tamen, in ea, manent singulae personae, in quarum servitium cetera omnia diriguntur.

242. Quamvis iure nostro, ad Domum condendam, quattuor religiosi professi requirantur et sufficiant, optandum tamen est ut Superior Maior singulis Communitatibus sex vel plures religiosos assignet.

243. Cum iure nostro quaternarius numerus religiosorum ad Domum religiosam erigendam praeceptivus sit, nullus Superior Maior, sed unus P. Generalis de consensu suorum Adsistentium, temporarie vel in casibus exceptionalibus, dispensare poterit.
Si quando aliqua Domus a tribus saltem religiosis professis decidit, ita ut tantum duobus consodalibus constet, post sex menses, nisi certa spes adsit novos consodales recipiendi, a P. Generali, de consensu sui Consilii, declaranda est *filialis* alicuius Domus principalis, cuius Superior devenit, ipso facto, etiam Superior huius Sedis filialis.

244. Ad novam Domum condendam vel novum Opus inchoandum, requiritur praevia licentia in scriptis data P. Generalis, de con-sensus suorum Adsistentium. Et antequam Supremus Mode-rator decretum erectionis ferat, consensus Episcopi dioecesani in scriptis quoque datus necessarius est.
Ad erectionem canonicam Domus religiosae et ad eius tum suppressionem tum derelictionem, requiritur decretum formale a Supremo Moderatore in scriptis latum, in quo utrum de erectione canonica, a n de suppressione vel derelictione agatur, explicite significetur.

Domus sic erecta personalitate iuridica publica gaudet; Domus suppressa eam amittit; Domus derelicta eam servat, et consensus Episcopi dioecesani, per se, non requiritur ad activitatem nostram, data occasione, ibi iterandam.

245. Ad novam Domum creandam, Praepositus Provincialis, consensu suorum Adsistentium prius obtento, ad normam n. 281,1º,d), exhibere debet P. Generali proiectum in quo clare exponantur:

a) fines fundationis;

b) necessitas vel magna convenientia creandi Communitatem;

c) possibilitas illuc mittendi saltem quattuor religiosos, iuxta n. 242;

d) possibilitas servandi integritatem vitae religiosae;

e) necessitas Ecclesiae localis;

f) spes futurarum vocationum;

g) continuitas seu duratio talium conditionum;

h) congrua provisio pro necessitatibus sodalium.

246. In supprimenda vel derelinquenda aliqua Domo, hac ratione procedatur: Praepositus Provincialis, audita communitate Domus de qua agitur, criteria suae actionis rediget, inter quae recensendae sunt conditiones n. 245; et, consensu sui Consilii prius obtento, ad normam n. 281,1º,d), decisionem Congregationis

Provincialis P. Generali proponet; qui, monito Episcopo dioecesano, si de derelictione, aut eo consulto, si de suppressione Domus agatur, ad normam n. 159 Constitutionum et 244 Regularum procedet, bene perpendendo utrum de suppressione an de simplici derelictione tractetur.

247. In Opere supprimendo vel derelinquendo, praeter ea quae in n. 246 dicuntur, perpendatur utrum eiusdem perduratio possibilis evadat si ipsum ab alia communitate vel institutione ecclesiali assumatur.

248. In laboribus acceptandis, ad Communitatem una cum Superiore pertinet iudicare utrum nova actuositas vel apostolatus cum proiecto approbato et concreta possibilitate ipsius Communitatis componi possint. Ad proiectum Operum amplificandum requiritur licentia P. Provincialis et, si casus ferat, Episcopi dioecesani.
Munera, officia et obligationes stabilia extra institutiones nostras solum per mandat um vel explicitam Superioris
Maioris licentiam a sodalibus assumi poterunt, qui de propriis experientiis Communitati suae referre debent. Quae licentia pariter requiritur ut quis nostratum coetui vel societati cuiusvis naturae nomen dare possit. Superior autem Maior nonnisi post maturam deliberationem et informationem hanc licentiam concedat.

249. Habitatio Communitatis religiosae sit munda, paupertati consentanea et intimitati vitae favens; ideoque, quantum fieri potest, a loco laboris separata.

250. 1º *Rectores* nominentur:

a) in Provinciis et Viceprovinciis independentibus, a respectivo Superiore Maiore, de consensu sui Consilii et ad normam n. 281,1º,b, cum “nihil obstat” Congregationis Generalis;

b) in Viceprovinciis dependentibus et Vicariatibus Provincialibus, a Congregatione Provinciali, cum “nihil obstat” Congregationis Generalis; et quidem, in utroque casu, audito prius inmediato Superiore Maiore cum suo Consilio;

c) in Delegationibus Generalibus a Congregatione Generali, audito prius Delegato Generali cum suo Consilio;

d) in Communitatibus seu Domibus P. Generali immediate subiectis, a P. Generali de consensu sui Consilii.

2º Rectores ad quadriennium vel usque ad finem quadriennii nominentur, salvo praescripto n. 17, 9º Regularum. Rector qui laudabiliter se gesserit, poterit quidem ad idem munus secundo et tertio assumi; sed non quarto immediate in eadem Communitate.

3º Munus Rectoris componi nequit cum officiis maioris mo-menti, nisi de parvis Communitatibus agatur.

4º Praeses nominetur a Congregatione Provinciali.

251. Convenit ut P. Provincialis, antequam procedat ad Rectoris vel Praesidis nominationem, Communitatem consulat.

252. Nominationes Superiorum semper fieri debent ad normam nn. 281,1º,b et 315,1º,c.

253. Ad Rectorem vel Praesidem haec officia praecipue pertinent:

a) religiosos Communitatis, cui praeest, diligere eosque magna caritate et patientia tractare;

b) cavere ne quid religiosorum valetudini noceat;

c) de iisdem curam pastoralem habere, cooperatione sodalium, praesertim Vicerectoris, adhibita;

d) animationem vitae communitariae per opportunos conventus promovere;

e) coordinationem exigentiarum sodalium cum oneribus, quae Communitas sibi assumit, assequi sive cum munera adsignat sive cum religiosorum participationem in regimine Communitatis quaerit;

f) curam habere actuositatis circa ministerium educativum et apostolicum, quam religiosi exercent;

g) revisionem operositatis religiosorum peragere ad obtinendum ut singulorum actuositas cohaereat cum vita communitaria;

h) corresponsabilitatem in propriae Ditionis gubernio, iuxta Regulas, exercere.

254. 1º Plurimis in casibus oportebit munera Rectoris Communitatis et Directoris Operis diversis personis committere.

2º Iis in casibus, in quibus *Responsabilis legalis* vel *eius qui titulum habet Repraesentans* requiratur, sive Communitatis sive Operis, ille nominabitur a Superiore Maiore, de consensu sui Consilii.

3º Nisi leges nationis aliter exigant, ad Superiorem Maiorem, de consensu sui Consilii, petinet nominare vel, si casus ferat, proponere *Directorem nostrorum Operum*. De cetero, nulla praesentatio fiat absque praevio consensu supradicti Superioris Maioris eiusque Consilii.

4º Responsabilis legalis et Director Operis, si sodales sint, qua tales, Superiori Communitatis subsunt; Director autem Operis, sive sodalis sit sive laicus, in munere suo exercendo pendet a Superiore Maiore immediato vel ab eo qui legalem repraesentationem Operis habet, nisi in normis Ditionis aliter statuatur.

5º Responsabilium et Moderatorum Operis officia et iura in Statutis diversarum Ditionum definiantur, habita ratione, si casus ferat, de legibus civilibus.

255. In Operibus scholasticis, coram lege civili et ecclesiastica, uterque, nempe sive Superior titulum habens sive Director Operis, responsabilis erit iuxta competentias concretas a respectiva Congregatione Ditionali, prae oculis habitis legibus diversorum Statuum, determinatas. Pari ratione, idem dicatur de aliis Operibus variis.

256. Si convenit, in qualibet Communitate in qua sex vel plures sint religiosi, a Superiore Maiore, suo Consilio et Communitate auditis, nominetur *Vicerector*, qui non modo se substituat in locum Rectoris absentis vel impediti, sed etiam officia, etiam praesente Rectore, constantia exerceat.

Vicerector, suapte conditionis, auctoritatem regiminis non habet.

257. In Communitate, ubi vivunt saltem sex religiosi, duo *Consultores* a Superiore Maiore, auditis, si opportunum videatur, Rectore et Communitate, designentur, qui in rebus maiorem circumspectionem postulantibus, ad normam iuris universalis, a Rectore audiri debent. Consultores in casu can. 703 votum deliberativum habent.

258. 1º Communitas religiosa frequenter iuxta Programmationem Communitariam annuam conveniet, vel quando a Superiore Locali convocetur vel maior Communitatis pars id petat.

2º Superior Localis indiget voto consultivo Communitatis:

a) in peragenda, initio anni scholaris, programmatione sive vitae communitariae sive actuositatis educativae aut pastoralis religiosorum;

b) exeunte anno, in revidenda ac ponderanda Programmatione;

c) in parandis Capitulis;

d) in revisenda exsecutione actuum, qui a Superiore Maiore praescripti sunt;

3º Superior Localis indiget voto deliberativo Communitatis:

a) in novis obligationibus stabilibus suscipiendis;

b) in examinando utrum Domus vel Opus, si Opus a Communitate Locali dependet, claudenda sint;

c) in casibus sub n. 445,3º recensitis.

259. In singulis Communitatibus et Operibus constituantur *Officiales*, qui necessarii videantur pro bono uniuscuiusque regimine:

*a) In Communitate*, a Superiore Maiore, praevia consultatione sui Consilii, auditis Superiore Locali eiusque Communitate, nominentur: Vicerector, Consultores, Oeconomus et Rationarius Missarum.

*b) In Opere*, a Superiore Maiore, praevia consultatione sui Consilii, auditis Responsabile legali, si adsit, Directore Operis religiosisque in Opere laborantibus, nominentur: Administrator, et responsabiles graduum educativorum atque pastoralium.

c) Item est Superioris Maioris sodalem Episcopo praesentare, ut Parochus nominetur, et Rectorem Ecclesiae nominare.

d) Ad cetera omnia Officia Domus et Operis provideant respective Superior Localis et Director Operis, collatis consiliis et colloquio praemisso cum illis quorum interest.

260. *Rationarius Missarum*, in libro ad hoc destinato, praeter suffragia pro nostris et peculiares Domus seu Communitatis obligationes, accurate adnotet Missarum acceptarum numerum, intentionem, eleemosynam et celebrationem. Munus tamen invigilandi ut oneribus Missarum semper et rite satisfiat ad Communitatis

Superiorem pertinet. Iuxta antiquissimam traditionem nostram, singulis mensibus, tot sacra ad intentionem P. Generalis offerantur, quot sacerdotes in Communitate degunt.

261. 1º *Secretarii* partes erunt Archivi curam habere et in librum suum referre:

a) decisiones in Communitate initas;

b) quidquid characterem officialem habet;

c) documentorum officialium receptionem aut emissionem.

2º Liber Secretariae digitaliter compositus, imprimatur quoque ante anni civilis finem pro eiusdem libri glutinatione, subscriptione et sigillatione. Servetur praedictus liber in Archivo aut locali aut, si melius censetur, ditionali.

262. 1º *Chronista* in suo libro describet ea quae ad historiam utilia videantur, etsi charactere officiali careant, nullo de rebus vel personis proprio emisso iudicio. Quae descriptio, quantum fieri potest, locupletetur photographiis et resegminibus diariorum, addito in singulis documentis tempore et, si de diariis agatur, etiam titulo. Perutile erit si in photographiis nomina personarum aliquo modo adnotentur. Nihil obstat quominus Secretarii et Chronistae libri coadunentur in librum unum seu “Librum Communitatis”.

2º Et liber Chronicarum et Chronica Graphica, si digitaliter componentur, imprimentur etiam, curata impressionis qualitate, ante anni civilis finem pro eorum glutinatione, subscriptione

et sigillatione. Serventur in Archivo localis Communitatis.

263. *Bibliothecarius* diligenter curet ut libri et periodica commentaria, iuxta annuas expensas praevisas, emantur. Eadem ordinata disponat. Indices per schedulas, iuxta moderna systemata, conficiat. Curet ut lectores in ipsa aula bibliothecae, in quantum possibile sit, consistant. Si autem libri e bibliotheca extrahi debebunt, accurate in albo ad hoc destinato eosdem annotet et invigilet ut, concessi temporis spatio transacto, in suis locis reponantur. Caveat demum ne volumina vel biblicothecae apparatus detrimentum accipiant.

264. *Sacrarii Praefectus* cultui ecclesiae et rebus ad cultum pertinentibus sedule consulat. Superior Localis illius adiutorio uti poterit in cura pastorali totius Communitatis exercenda.

## De Communitate Provinciali

265. Communitas Provincialis seu Provincia est coniunctio Domorum et Operum sub eodem P. Provinciali, quae partem constituit immediatam Ordinis. Provincia comprehendere potest Vicariatus Provinciales et Viceprovincias dependentes.

### *1. De Provincia stricto sensu*

266. In Ordine nostro existunt Provinciae formatae et non formatae. Ad Provinciam formatam constituendam requiruntur non minus quam sex Domus canonicae, quarum saltem quattuor sint formatae ad normam iuris, et quinquaginta religiosi professi, quorum saltem triginta sint sacerdotes.

267. Provinciae non formatae censentur illae, quae praefatis conditionibus non gaudent; Provincia ex deminuto consodalium vel Domorum numero potest evadere non formata, sed Provinciae formatae iuribus gaudent, usquedum P. Generalis, de consensu suorum Adsistentium, per formale decretum ipsam non formatam declaret. Nova Provincia non formata solummodo ob iustas et graves causas, a Congregatione Generali diiudicandas, erigi potest.
Superior Provinciae non formatae facultatibus Provincialium in sua Ditione f ruitur, exceptis iis, quae P. Generalis expresse sibi reservaverit, et quae ex natura rei vel ex iure ipsi reservatae manent.

268. Ut Provincia actuositatem suam harmonice exercere valeat, praeter Capitulum, Congregationem et Curiam Provincialem, habeat oportet, inter alia, haec organa: Consilium Provinciae et Secretariatus Provinciales.

269. 1º Secretariatus Provinciales constant ex religiosis et laicis a P. Provinciali designatis -auditis, in quantum fieri potest et modo a se aptiore iudicato, Provinciae sodalibus- qui, sub moderamine alicuius Adsistentis Provincialis, vel alius periti, collaborationem praestent, iuxta Provinciae necessitates et P. Provincialis indicationes, in rebus paedagogicis, pastoralibus, iuridicis, calasanctianis, vocationalibus et oeconomicis. Eorum propositiones characterem consultivum induent et a Congregatione Provinciali accurate considerari debebunt, ita ut bonum, quod in iisdem inventum fuerit, approbetur et in Provinciae emolumentum exsecutioni mandetur.

2º Similiter dicendum est de aliis omnibus Ditionibus, congrua congruis referendo.

270. Secretariatus Provinciales, sub directione Congregationis Provincialis, auctoritate administrativa exsecutiva gaudent.

271. 1º Nisi Capitulum Provinciale aliter decreverit, ad Congregationem Provincialem pertinet statuere numerum membrorum quibus Consilium Provinciae constet, et utrum, exempli gratia, hic numerus ex solis Superioribus Localibus an ex iisdem cum Vocalibus, iuxta systema ab ipsa Congregatione Provinciali approbatum electis, an ex membris postremi Capituli Provincialis, efformandus sit.
Eius propositiones characterem solum consultivum induunt. Congregatio autem Provincialis partes habere debet in tali Consilio, cuius praeses est P. Provincialis, etsi aliquis Moderator nominari possit.

2º Simili modo dicendum est de aliis omnibus Ditionibus, congrua congruis referendo.

272. Cum alia organa provincialia vel localia forte adiungantur iis quae in Constitutionibus et Regulis statuta sunt, semper iuri tum universali tum nostro congruant oportet.

273. *Curiae Provincialis* nomine designatur corpus omnium eorum, qui, legitime nominati, modo immediato et stabili cum P. Provinciali laborant. Adsistentes Provinciales *Consilium P. Provincialis* efformant et, una cum ipso P. Provinciali, *Congregationem Provincialem* constituunt.

274. *P. Provincialis* tempore capitulari eligatur a Capitulo Provinciali ad quadriennium ex candidationibus a Congregatione Generali, habita ratione n. 315, factis.

Tempore vero extracapitulari nominetur a Congregatione Generali, ad propositionem P. Generalis, habita ratione n. 315, usque ad proximum Capitulum Provinciale.

275. *P. Provincialis* suam Ditionem in foro sive ecclesiastico sive civili, plena responsabilitate plenoque iure, vi proprii muneris, servatisque de iure servandis, repraesentat; quam repraesentationem officialem aliis committere seu delegare potest. Si alius sodalis vel alia persona, vices P. Provincialis gerens, Provinciam in quovis foro repraesentet, omnia de eius consensu semper agat.

276. Cum Provinciae bonum a plena P. Provincialis dedicatione pendeat, is nullum aliud munus, quod responsabilitatem secum ferat, sibi assumat; sed, omnibus viribus et summo studio, suae Ditionis incrementum promovere conetur. Plura sunt enim P. Provincialis officia ac iura, quorum praecipua distinctis titulis hic recensentur:

*1º De cura pastorali religiosorum:*

a) frequenter, saltem bis in anno, per se vel per alium singulas Communitates visitet ad vitam religiosam animandam, ad sodales audiendos et coetus communitarios instituendos;

b) tum verbis tum scriptis, eosdem in calasanctiana vocatione et nostro ministerio confirmet;

c) programmationem de rebus spiritualibus et de formatione permanenti tum pro singulis religiosis cum pro Communitatibus confici curet, quam continuo novis necessitatibus accommodet;

d) Superiorum Localium formationi studiose consulat.

*2º De vocationum incremento:*

a) P. Provincialis sit primus vocationum promotor et alios promotores in Provincia et Communitatibus constituat, quos ad actuositatem iugiter adigat;

b) curet ut, pro Provincia, totum formationis initialis iter ordinatum exstet, sive ditionalis sit sive interditionalis, iuxta Directorium pro Formatione;

c) Magistros novitiorum et Studentium attente seligat atque ad normam iuris nominet;

d) ad Novitiatum, professionem simplicem et professionem sollemnem quos idoneos iudicaverit, iuxta nn. 109, 110, 113, 117 Constitutionum, admittat;

e) coetuum laicorum, qui missionem nostram variis modis participant, formationem in charismate calasanctiano promoveat.

*3º De structura et usibus Provinciae:*

a) normas tradat et invigilet circa vitam religiosam, actuositatem apostolicam et educativam singularum Communitatum;

b) programmata de actibus communitariis a singulis Religiosis Familiis, initio anni, confecta recognoscat et approbet, eorumque exsecutionem exigat;

c) Domorum Officiales, iuxta Regulas, nominet;

d) renuntiationes acceptare potest eorum quos ipse in munere constituit;

e) iuxta Provinciae consuetudines, de feriis aestivis instructiones edat et, prae oculis habitis Provinciae necessitatibus, easdem ordinare nitatur;

f) curet ut usus legitimi serventur, novi vero discernantur et probentur;

g) operam det ut Provincia roboretur, necessaria media temporalia impendendo ad sodalium profectum et ad renovationem ac apostolicam actuositatem promovenda;

h) in distributione religiosorum curet ut melius servitium obtineatur, sive Provinciae, sive Communitatum et personarum.

*4º De gravioribus Provinciae problematibus:*

a) curet ut inter religiosos conscientia vivida de Communitate Provinciali efformetur et propterea eosdem edoceat de rebus ad Provinciam pertinentibus; vicissim ab iisdem informationes quaerat et eorum cooperationem in problematibus urgentioribus et gravioribus enodandis exquirat;

b) coetus Rectorum vel Consilium Provinciae, iuxta necessitates, pro sua prudentia, congreget.

*5º De unione cum toto Ordine servanda et promovenda:*

a) corresponsabilem de toto Ordine se sentiens, ministrum se praebeat inceptis generalibus,

qui Ordinis consolidationem atque incrementum respiciunt;

b) suos religiosos informet de documentis a Curia Generali acceptis, et observantiam dispositionum P. Generalis exigat;

c) coetibus Superiorum Maiorum intersit;

d) licentias iure nostro praescriptas a P. Generali postulet;

e) saepe informationes de Provinciae vita ad P. Generalem mittat;

f) scriptam relationem quotannis P. Generali mittat una cum religiosorum catalogo, quem saltem singulis quatrienniis typis imprimendum curet.

277. Sedes Curiae Provincialis fixa esse debet, tamen, mutatis circumstantiis, de licentia P. Generalis qui suum Consilium audire debet, transferri possit.

278. 1º Praepositus Provincialis, audito suo Consilio et consulto P. Generali, unum ex Adsistentibus, qui sacerdos esse debet, nominare potest in Vicarium Provincialem, qui, auctoritate ordinaria vicaria, vices P. Provincialis absentis vel impediti gerat, aut alia negotia sibi commissa expediat.
Ob iustas et graves causas, Congregatio Generalis concedere potest ut etiam in Provinciis non formatis quattuor Adsistentes eligantur.

2º Nominatio fieri valet ad tempus finitum et cum tota Ditione, officiali modo, communicanda est.

3º Vicarius Provincialis facultates habet, quas P. Provincialis ei concedat. Si P. Provincialis pleno impedimento afficiatur, Vicarius omnes illius facultates ex iure obtinet, dummodo munere actu fungatur.

4º Vicarius Provincialis, munere durante, est Superior Maior; attamen, qua Vicario, nullum ei ius competit interveniendi Capitulo Generali.

5º P. Provincialis, rationabili de causa, libere potest Vicarium Provincialem amovere, iterum confirmare, vel alium eius loco, servatis servandis, nominare.

6º Facultates quaelibet, quibus Vicarius Provincials gaudeat, extinguuntur lapsu temporis nominationis, vel revocatione quovis momento facta vel amotione, aut P. Provincialis obitu aut, quavis de causa, cessatione a munere.

7º Praeposito Provinciali defuncto vel a munere cessante, primus Adsistens sacerdos gubernium Provinciae pleno iure assumit, donec P. Generalis monitus aliter provideat.

279. 1º Quo facilius suum munus exsequatur, P. Provincialis in Provinciis formatis quattuor, in Provinciis vero non formatis duos habeat Adsistentes, quorum opera et voto iuxta Constitutiones et Regulas utatur.
Ob iustas et graves causas, Congregatio Generalis concedere potest ut etiam in Provinciis non formatis quattuor Adsistentes eligantur.

2º Adsistentes Provinciales tempore capitulari a Capitulo Provinciali eligantur ad quadriennium. Tempore vero extraca-pitulari, nominentur

usque ad finem quadriennii a Congregatione Provinciali, ad propositionem P. Provincialis, cum “nihil obstat” Congregationis Generalis et habita ratione n. 281, 1º Regularum. Inter Adsistentes, unus saltem sacerdos esse debet.

3º Quantum fieri potest, Adsistentes ab aliis laboribus liberi sint, ut missionem suam exerceant.

280. Congregatio Provincialis saltem bis in mense coetum habeat, in quo de negotiis Provinciae agat, iuxta rerum agendarum ordinem antea accurate paratum et a singulis attente ponderatum. Initio sessionis acta praecedentis conventus legantur et subscribantur. Unus ex Adsistentibus vel Secretarius Provincialis munere fungatur Secretarii Congregationis.

281. 1º Adunatio plena Congregationis Provincialis, id est, quinarius -vel ternarius in Provinciis non formatis- numerus membrorum requiritur:

a) in nominando Adsistente Provinciali, extra tempus capitulare;

b) in nominandis, quovis tempore, Superioribus quibuslibet;

c) in nominandis Magistris Novitiorum et Studentium;

d) in Domibus et Operibus aperiendis vel claudendis.

2º His in casibus, si quis ex Congregatione Provinciali absit, procedatur ad normam n. 32.

282. Praeter *Oeconomum* et *Secretarium Provinciales,* in qualibet Provincia, P. Provincialis designabit *Historiographum Provincialem*, qui notitias et documenta photographica necnon hemerographica ad historiam totius Ditionis et singularum Domorum pertinentia colligat.

283. Cuique Ditione, Superiores Maiores Praefectum Communicationis socialis eligent. Eius officia in Manuali de officiis, a Congregatione Ditionale approbato, describentur.

*2. De Viceprovinciis dependentibus et de Vicariatibus Provincialibus.*

284. In Ordine nostro, praeter Provincias et Viceprovincias independentes, dantur Viceprovinciae dependentes et Vicariatus Provinciales; quae Ditiones inde a momento erectionis canonicae personalitate iuridica publica gaudent.

*A) De Viceprovinciis dependentibus*

285. Ad Viceprovinciae dependentis erectionem requiruntur tres saltem Domus canonicae erectae et duodeviginti religiosi, ex quibus saltem duodecim sint sacerdotes.

286. Si ex deminuto consodalium vel Domorum numero, conditiones requisitas Viceprovincia dependens amittit, iuribus Viceprovinciae gaudet, usquedum P. Generalis, de consensu suorum Adsistentium et, si casus ferat, audita respectiva Congregatione Provinciali, per formale decretum ipsam Vicariatum Provincialem declaret.

287. P. Viceprovincialis, in Viceprovincia dependenti, est Superior Maior qui Viceprovinciam regit.

Iisdem officiis tenetur iisdemque iuribus gaudet quibus P. Provincialis, exceptis iis, quae P. Provincialis sibi reservaverit, vel natura sua aut iure ad P. Provincialem pertineant.

288. P. Viceprovincialis in foro sive ecclesiastico sive civili, plena responsabilitate plenoque iure, servatis de cetero servandis, respectivam Ditionem repraesentat, quam repraesentationem officialem aliis committere potest. Si autem alius consodalis aliave persona, P. Viceprovincialis vices gerens, Ditionem iuridice repraesentet, omnia de eiusdem consensu semper agat.

289. P. Viceprovincialis eiusque Adsistentes, tempore capitulari, ad normam nn. 404-409, designentur ad quadriennium; tempore vero extracapitulari, a Congregatione Provinciali, prius obtento “nihil obstat” Congregationis Generalis, usque ad finem quadriennii nominentur.

290. Congregatio Viceprovincialis, quae constat ex P. Viceprovinciali et duobus Adsistentibus, convoc anda erit semel saltem in mense. Ex Adsistentibus, unus saltem sacerdos esse debet. Ob iustas causas, Praepositus Generalis, de consensu sui Consilii, concedere potest ut quattuor Adsistentes, ad normam iuris, designentur.

291. P. Viceprovincialis ad quadriennium nominatus vel electus, ad aliud quadriennium immediatum assumi potest; non tamen ad tertium quadriennium consecutivum, nisi Congregationis Generalis dispensatio accedat, manente maioritate qualificata si de electione capitulari hac tertia vice aga tur. Ad quartam vero electionem vel nominationem consecutivam amittit vocem passivam.

*B) De Vicariatibus Provincialibus*

292. In Ordine nostro dantur Vicariatus Provinciales, qui constare debent saltem ex duabus Domibus canonice erectis et non minus quam decem religiosis, quorum saltem quinque sint sacerdotes.

293. Vicariatui Provinciali praeest Superior Vicarialis, qui auctoritate ordinaria vicaria fruitur. Superior Vicarialis ad quadriennium vel usque ad finem quadriennii nominatur a Praeposito Provinciali de consensu sui Consilii, prius obtento “nihil obstat” Congregationis Generalis.
Superior Vicarialis ad quadriennium nominatus ad secundum et tertium quadriennium consecutivum assumi potest. Ad quartam vero nominationem consecutivam amittit vocem passivam.

294. Superior Vicarialis est Superior Maior et habet ex officio omnes facultates quas ius nostrum ipsi Superiori
Vicariali specifice, et Superiori Maiori qua tali, tribuit, nisi P. Provincialis aliquas ex his sibi reservaverit.
Gaudet praeterea omnibus facultatibus, quas Congregatio Provincialis, in Normis seu Statutis quibus Vicariatus Provincialis regitur, ipsi Superiori Vicariali concedere decernat. Iure quoque fruitur Capitulis Provinciali et Generali interveniendi.

295. Vicariatus Provincialis regitur normis in iure nostro contentis et specialibus Statutis a P. Provinciali de consensu sui Consilii paratis necnon a Congregatione Generali approbatis.

296. Superior Vicarialis suam Ditionem in foro sive ecclesiastico sive civili, plena responsabilitate

plenoque iure, vi proprii muneris servatisque de iure servandis, repraesentat; quam repraesentationem officialem aliis committere potest.
Si alius sodalis vel alia persona, vice Superioris Vicarialis gerens, Ditionem in foro ecclesiastico vel civili repraesentet, omnia semper agat de eiusdem consensu.

297. Superior Vicarialis duos habeat Consultores, qui cum ipso Congregationem Vicarialem constituunt, a P. Provinciali de consensu sui Consilii ad quadriennium vel usque ad finem quadriennii nominandos; eos alternis saltem mensibus convocet ad negotia Vicariatus debito studio perpendenda. Unus saltem ex Consultoribus sacerdos esse debet.

298. Statuta Vicariatus singulis quattuor annis revideantur, et opportunae mutationes, servatis servandis, in ea introducantur.

## De Communitate Generali

299. Universus Ordo noster, cui Praepositus Generalis praeest, constat imprimis Communitatibus Provincialibus seu Provinciis; comprehendere etiam potest Viceprovincias independentes, Delegationes Generales atque Domus et Opera, quae a P. Generali immediate dependent.

### *1. De Ordine in genere*

300. Ordo noster, a Paulo Papa V legitime erectus seu fundatus, personalitate iuridica publica gaudet. Quo efficacius actuositatem suam Communitas Generalis exercere valeat, praeter Capitulum

Generale, Congregationem et Curiam Generalem, haec organa habeat oportet: Consilium Superiorum Maiorum et Secretariatus Generales.

*1.A. De Patre Generali*

301. P. Generalis ad sexennium eligitur et universum Ordinem singulasque Ditiones et Domos, tum canonice cum civiliter, repraesentat, quam repraesentationem, servatis de iure servandis, aliis committere vel delegare potest. Ille supremam responsabilitatem de toto Ordine habet et plenam gubernii auctoritatem in omnes et singulas Ditiones, Domos et sodales, secundum Evangelium, Ecclesiae leges, nostrasque Constitutiones et Regulas et, si casus ferat, leges unuiuscuiusque nationis, exercet.

302. Supremi Moderatoris, praeter alia, erit:

a) devotionem erga Ecclesiam et fidelitatem erga eius magisterium verbo et exemplo fovere;

b) fidelitatem charismati calasanctiano in nostro ministerio ubique custodire et alere;

c) identitatem et unitatem totius Ordinis munire et confirmare;

d) vitam religiosam et communitariam omni modo excitare;

e) vocationum curam in toto Ordine enixe promovere;

f) institutioni candidatorum in Domibus interditionalibus, provincialibus, viceprovincialibus et Delegationum quam diligentissime consulere;

g) consodales opportune, tum verbis tum scriptis, docere;

h) novas experientias et usus Ditionum et Domorum examinare, eaque vel probare vel arcere;

i) mentis et decretorum S. Sedis cognitionem et exsecutionem, reliquis Ordinis Moderatoribus adiuvantibus, inter religiosos urgere;

j) cavere ut in Ditionibus, Communitatibus et Operibus idonei Superiores constituantur, qui peculiari peritia polleant, praesertim in cura pastorali sive religiosorum sive alumnorum;

k) visitationes in toto Ordine peragere;

l) in Domibus et Ditionibus ei immediate subiectis iura et officia exercere, quae P. Provinciali in sua Provincia competunt;

m) Capitula intimare et, si opus fuerit, iisdem praeesse;

n) modo et tempore a S. Sede statutis, brevem conspectum de statu et vita totius Ordinis eidem Sedi Apostolicae mittere.

303. Intra sexennium accuratam visitationem totius Ordinis per se vel per delegatos peragat.
Ut visitatio fructuosa evadat, Congregatio Generalis, et Congregatio Ditionis cuius intersit, programma definitum, perspicuum et concretum communi studio tempestive conficiant. In tali programmate ratio habeatur etiam de Domibus, quae physice visitari non poterunt, salvo tamen iure cuiusvis religiosi adeundi personaliter Visitatorem.

304. Ne Visitatio Generalis duplicatio quaedam Visitationis Provincialis evadat, Visitator Generalis maximis tantum negotiis Communitatum vel Ditionum operam det. Praecipue vocationum incrementum, renovationem communitariam, ministerium nostrum et formationem permanentem promovere studeat. Una cum Curiis, de Ditionis problematibus et de lineis generalibus in praxim deducendis agat. Coetus varios, inter quos Consilium Provinciae, si constitutum fuerit, et Rectores, convocet ad problemata seu negotia maioris momenti excutienda.

305. Visitationes pastorales frequentiores P. Generalis peragat ut, per dialogum cum consodalibus, fraternitas religiosa eiusque gaudium continuo renoventur.

306. 1º Praeter Vicarium successorem (cfr. Const. 208), Praepositus Generalis, consulto suo Consilio, unum ex Adsistentibus, qui sacerdos sit saltem a triennio, in Vicarium Generalem nominare poterit, qui, auctoritate ordinaria vicaria, vices P. Generalis absentis vel temporaliter impediti gerat, aut alia negozia sibi commissa expediat.

2º Nominatio libere fieri potest ad tempus finitum et cum toto Ordine, officiali modo, communicanda est.

3º Vicarius Generalis facultates habet a P. Generali sibi concessas.

4º Vicarius Generalis, munere durante, est Superior Maior.

5º Praepositus Generalis, rationabili de causa, libere potest Vicarium Generale amovere,

iterum confirmare, aliumve, eius loco, servatis servandis, nominare.

6º Quaelibet facultates, quibus Vicarius Generalis gaudeat, extinguuntur lapsu temporis nominationis, vel revocatione quovis momento facta, vel amotione, aut Praepositi Generalis obitus aut, quavis de causa, cessatione a munere.

7º Si Vicarius Generalis ab officio cessaverit, in casu vel pleni impedimenti vel amotionis aut remotionis Praepositi Generalis, primus Adsistens omnes facultates ex iure obtinebit; in casu vero mortis, resignationis vel promotionis, ad normam n. 208 Constitutionum procedatur.

307. P. Generalis, in casibus specialibus et praesertim si aliter pro-cedere nequeat, potest nominare Vicarios Patris Generalis, qui alicui Ditioni, in specialibus adiunctis positae, auctoritate ordi-naria vicaria praesint eamque regant. Hi Vicarii Patris Generalis sunt Superiores Maiores et habent, ex iure, omnes faculta-tes muneri Superioris Maioris specifice adnexas et eas quas P. Generalis ipsis concedat; fruuntur quoque iure Capitulum Generale adeundi.

308. Delegatus Patris Generalis est persona a P. Generali nominata, ad missionem seu munus sive transitorium sive stabile exercendum. Si autem sacerdos non sit ab eiusdem actibus negotia quae ordinem presbiteralem implicent exclusa manent.

309. Delegatus Patris Generalis habet facultates a P. Generali ipsi concessas, et quamvis aliqua praelatione gaudeat, non est Superior sensu proprio, nec interveniendi Capitulo Generali ius ei competit.

*1.B. De Adsistentibus et Congregatione Generalibus*

310. Adsistentes Generales quattuor esse debent et a Capitulo Generali ad sexennium eligendi sunt, ut opportunam curam habeant de Circumscriptionibus, quae ab ipso Capitulo definientur.
Etsi ex ipso eorum munere responsabilitas pro bono totius Ordinis ad eos pertinet, tamen unusquisque in sua Circumscriptione erit communium actuositatum promotor.
Meminerint autem sibi semper agendum esse uti membra Congregationis Generalis; et ideo officio teneri certiorem faciendi tandem Congregationem de propria actuositate. Pro sua quisque peritia possunt esse Praesides Secretariatuum Generalium.
Suam visitent Circumscriptionem et etiam totum Ordinem, si nocesse fuerit.

311. Tempore extracapitulari, Adsistens Generalis nominetur a Praeposito Generali de consensu sui Consilii ad normam nn. 30, 315, acceptis prius propositionibus Congregationum Ditionalium respectivae Circumscriptionis. Singulae Ditiones, quarum interest, unum tantum candidatum praesentare possunt.

312. Si unus vel alter Adsistens absens fuerit, Congregatio plena censetur et, ad effectos iuridicos quod attinet, valida est ad normam n. 32.

313. Singulis hebdomadis Congregatio Generalis coetum habeat, in quo de negotiis Instituti agat, iuxta rerum ordinem antea accurate paratum et a singulis attente ponderatum. Initio sessionis Acta praecedentis conventus legantur et subscribantur.

314. Unus ex Adsistentibus erit Congregationis Secretarius, nisi ad hoc munus alius sodalis nominatus fuerit.

315. 1º Conventus plenus totius Congregationis Generalis, id est, quinarius numerus membrorum requiritur:

a) in removendo et nominando aliquo Adsistente Generali, vel eiusdem renuntiatione acceptanda;

b) in candidandis Superioribus Maioribus tempore capitulari;

c) in nominando Superiore Maiore extra tempus capitulare;

d) in removendo aliquo Superiore Maiore, vel eiusdem renuntiatione acceptanda;

e) in decernendis Provinciae, Viceprovinciae vel Delegationis Generalis tum erectione tum supressione; in Provinciis iam exsistentibus uniendis vel aliter circum scribendis; in Provincia formata declaranda non formata; in reducenda Viceprovincia ad statum seu conditionem Vicariatus Provincialis.

f) In nominanda in Ditione nuper erecta prima Congregatione Ditionali, sive tempore capitulari sive extracapitulari.

2º His in casibus, si quis ex Congregatione Generali abest, procedatur ad normam nn. 30 et 32, 1º.

316. Cum agitur de dimissione sodalis professi ad normam can. 699, in decisione sumenda procedatur oportet actu stricte collegiali.

*1.C. De Officialibus Curiae Generalis*

317. Ad P. Generalem pertinet, de consensu suorum Adsistentium, nominare ad sexennium *Procuratorem Generalem,* qui Romae semper residere debet.
Ob iustas et rationabiles causas, obtento consensu suorum Adsistentium, P. Generalis eum amovere potest et, servatis servandis, alium nominare.

318. Procuratoris Generalis partes erunt totius Ordinis negotia apud S. Sedem gerere ac diligenter expedire; neque quisquam alius, praeter eum, negotiis ullo modo sese immisceat, absque speciali P. Generalis facultate.

319. Quoties a Congregatione Generali negotium alicuius momenti ad S. Sedem afferendum pertractetur, Procurator Generalis vocari et audiri eiusque sententia in Actis prostare debet.

320. Procurator Generalis regesta conficiat, in quibus diligenter et perspicue omnia describat, quae in Curia Romana, tempore sui officii, circa Ordinem, Ditiones, Domos vel sodales gesta fuerint. Documenta omnia in Archivo Secretariae Generalis serventur.

321. *Oeconomus Generalis* a P. Generali, audito suo Consilio, nominetur. Eum non expedit esse unum ex Adsistentibus Generalibus. Ea, quae ad eius officium spectant, recte peragat et bis in anno rationes oeconomicas inspectioni Congregationis Generalis subiciat.

322. *Secretarius Generalis* Ordinis a P. Generali nominatus notarius erit ad normam iuris eiusque subscriptio publicam fidem faciet. Eius erit

curam habere de universis documentis missis ad Congregationem Generalem vel ab ea emanatis. Ad eum insuper pertinet coordinare quemlibet laborem ad Secretariam Generalem spectantem.

323. P. Generalis nominet *Postulatorem Generalem,* cuius erit causas nostrorum Servorum Dei apud S. Sedem tractare. Postulator Generalis curabit insuper ut libri, folia, imagines, numismata de Sancto Patre Nostro ac de nostris sodalibus memoria dignis exarentur, edantur, excudantur et gratis ac copiose divulgentur, iuxta summas ad hunc finem Postulationi Generali assignatas. Ipse quoque folia scribere ne omittat.

324. Similiter ad Supremum Ordinis Moderatorem pertinet nominare tum *Archivistam Generalem*, tum *Historiographum Ordinis*. Archivista Generalis curam habebit bonorum culturalium historicorum, quae in domo Sancti Pantaleonis aliisque domibus Generalitiis inveniuntur. Historiographus Ordinis conabitur nostram historiam investigare atque eiusdem cognitionem promovere apud religiosos et laicos Familiae Calasanctianae aliasque personas eiusdem studiosas.

325. Pater Generalis Praefectum Communicationis socialis, cohortatem omnes in communicationem officiantes et opus interretiale communicatorum in Ditionibus coordinantem, pro toto Ordine eliget. Eius officia a Congregatione Generali approbentur.

*1.D. De Consilio Superiorum Maiorum*

326. Omnes Superiores Maiores unitatem atque incrementum totius Ordinis sollicitudine sua,

promovere debent. Ipsi omnes, simul sumpti et a P.Generali convocati, Consilium Superiorum Maiorum constituunt.

327. P. Generalis, modis et rationibus a Congregatione Generali statutis, Consilium Superiorum Maiorum convocabit, saltem quarto quoque anno, quando Capitulum Generale non cele-bratur, ad res quae ad universum Ordinem spectant tractandas vel quoties notabilis pars eorumdem Superiorum Maiorum id postulet.

328. Coetus Superiorum Maiorum singularum Circumscriptionum una cum P. Generali vel eius delegato semel in anno commendantur.

*1.E. De Secretariatibus Generalibus et Interditionalibus*

329. Nomine Secretariatuum Generalium veniunt personae vel personarum coetus quae Congregationem Generalem, consilio et navitate, iuvant in promovenda actuositate pastorali, paedagogica, iuridi ca, vocationali, oeconomica, calasanctiana. Horum Secretariatuum membra nominabit P. Generalis, auditis et suo Consilio et Superioribus Maioribus quorum interest.

330. Secretariatuum Generalium erit insuper congressus et alia incepta periodica, sub ductu Congregationis Generalis, promovere in bonum totius Ordinis vel singularum Ditionum.

331. Praeses cuiusvis Secretariatus Generalis relationes instituet cum Secretariatibus Interditionalibus, qui, una cum Secretariatibus Ditionum, curam habebunt promovendi relationes inter sodales et Superiores, in iis quae ad Secretariatuum singulorum ambitum pertinent.

332. Secretariatus Generales habent, sub directione Praepositi Generalis eiusque Consilii, auctoritatem administrativam exsecutivam.

333. Plures Ditiones possunt Secretariatus Interditionales constituere. Hi Secretariatus, in unoquoque campo seu materia, constabunt ex uno consodale uniuscuiusque Ditionis, a respectivo Superiore Maiore designato. Aliquis ex istis consodalibus vel alius religiosus in re vere peritus Praeses Secretariatus esse poterit.

334. Secretariatus Interditionales, sub directione respectivorum Superiorum Maiorum, auctoritate administrativa exsecutiva gaudent.

*2. De Viceprovinciis independentibus et Delegationibus Generalibus*

*2.A. De Viceprovinciis independentibus*

335. In Ordine nostro dantur Viceprovinciae independentes, quae immediate subsunt Supremo Moderatori, et inde a momento erectionis canonicae, personalitate iuridica publica gaudent. Ad Viceprovinciae independentis erectionem requiruntur tres saltem Domus canonice erectae et duodeviginti religiosi, ex quibus saltem duodecim sint sacerdotes.

336. Si, ex deminuto consodalium vel Domorum numero, conditiones requisitas Viceprovincia amittit, iuribus Viceprovinciae gaudet, usquedum P. Generalis, de consensu suorum Adsistentium, per formale decretum, eandem declaret Vicariatum Provincialem, a respectiva Provincia dependentem, si hoc bene visum fuerit et conditiones requisitas adimpleat.

337. P. Viceprovincialis est Superior Maior, qui Viceprovinciam regit. Iisdem officiis tenetur iisdemque iuribus gaudet quibus PP. Provinciales, exceptis iis, quae P. Generalis sibi reservaverit, vel natura sua aut iure ad P. Generalem pertineant.

338. P. Viceprovincialis in foro sive ecclesiastico sive civili, plena responsabilitate plenoque iure, Viceprovinciam repraesentat, quam repraesentationem officialem, aliis committere potest. Si autem alius consodalis aliave persona, Viceprovincialis vices gerens, Ditionem iuridice repraesentet, omnia de eiusdem consensu semper agat.

339. P. Viceprovincialis Viceprovinciae independentis eiusque duo Adsistentes, tum tempore capitulari, cum extracapitulari, ad normam nn. 274, 279.2º et 397 constituantur, congrua congruis referendo.

340. Congregatio Viceprovincialis, quae constat ex P. Viceprovinciali et duobus Adsistentibus, convocanda erit semel saltem in mense. Unus saltem ex Adsistentibus sacerdos esse debet. Ob iustas causas Praepositus Generalis, de consensu sui Consilii, concedere potest ut quattuor Adsistentes designentur.

*2.B. De Delegationibus Generalibus*

341. Delegatio Generalis est Ditio, quae a P. Generali creari potest et ab ipso immediate dependet. Inde a momento erectionis canonicae, personalitate iuridica publica gaudet. Ad erectionem Delegationis Generalis requiruntur saltem duae Domus canonice erectae et non

minus quam decem religiosi, ex quibus saltem quinque sint sacerdotes.

342. Delegatus Generalis est Superior Maior, qui Delegationi praeest. Auctoritate ordinaria vicaria gaudet et, ex officio, habet omnes facultates quas ius nostrum ipsi Delegato Generali specifice et Superiori Maiori, qua tali, tribuit, nisi ex his aliquas Praepositus Generalis sibi reservaverit. Fruitur praeterea omnibus facultatibus quas Congregatio Generalis in Statuto, quo Delegatio Generalis regitur, ipsi Delegato concedere decreverit.

343. Delegatus Generalis, in foro tam ecclesiastico quam civili, Delegationem repraesentat, quam repraesentationem officialem aliis committere potest, servatis de iure servandis.

344. Congregatio Delegationis Generalis, quae constat ex Delegato et duobus Adsistentibus, qui Consilium Delegationis efformant, coetus habeat semel saltem in mense.

345. In iis quae ad Capituli celebrationem et ad nominationes spectant, Delegatio Generalis servabit normas in Statuto, quo regitur, contentas.

## De consociatione inter Ditiones

346. P. Generalis, de consensu suorum Assistentium et auditis respectivis Congregationibus ditionalibus, communia organa plurium Ditionum ab ipso directe non dependentia, ad nonnullos earumdem vitae et apostolatus aspectus coordinandos et roborandos creare

valet. Haec singula communia Entia proprium habebunt Directorium, quod uniuscuiusque partis iura et obligationes definiet.

347. Eodem modo, si plures Congregationes Ditionales similium entium communium creationem intendunt, id facere valebunt, Congregatione Generali approbante necnon proprio Statuto ad ipsa regenda confecto.

## De visitatione canonica

348. Durante regimine, quilibet Superior Maior accuratam visitationem omnium suae Ditionis Domorum et Operum, per se vel per alium, peragat; in qua religiosi, qui id velint, a Visitatore audiantur. Post peractam visitationem, relationem ad immediatum Superiorem Maiorem et ad P. Generalem mittat.

349. Patris Generalis est revidere omnium Ditionum administrationem; Patris Provincialis autem erit revidere administrationem Ditionum a sua Provincia dependentium.

**Caput VI**

# DE SODALIUM PARTICIPATIONE IN ORDINIS GUBERNIO

## De voce et voto

350. Voce sine voto gaudent:

1º In congressibus familiae: quilibet religiosus simpliciter professus et Communitati adscriptus, nisi Superior Localis aut Magister circa eius praesentiam aliter iudicaverint.

2º In Capitulo Locali: quilibet religiosus a votis simplicibus et Communitati adscriptus; necnon aggregati, sive sacerdotes sive laici, in Communitate degentes.

3º In Capitulis respectivae Ditionis: iuniores a votis simplicibus partem habere poterunt uti repraesentantes cum voce sine voto et quidam repraesentantes laicorum quorum in nn. 233 et 234 fit mentio, iuxta Superioris Maioris iudicium, de consensu sui Consilii, secundum formam designationis ab ipso Superiore Maiore determinandam.

351. Voce activa fruuntur:

1º In congressibus familiae et Capitulo Locali: quilibet religiosus sollemniter professus in Domo cui adscriptus est, etsi eius curriculum studiorum adhuc perduret et licet in Domo Formationis adhuc inveniatur.

2º In Capitulis cuiusvis Ditionis et Capitulo Generali: qui ex iure vel ex electione huiusmodi Capitulorum sunt membra.

3º In Congressibus Operum Ditionalibus, si adsint: sodales et laici in singulis Operibus electi et alii qui in Ditione responsabilitates habent iuxta Ditionis Statuta.

352. Adsistentes, Procurator, Oeconomus et Secretarius Generales possunt in congressibus ad negotia Communitatis, cui adscripti sunt, pertractanda convocatis suffragium ferre; quod pariter intelligatur de Superiore Maiore in omnibus suae Ditionis Communitatibus in quibus tunc forte inveniatur.

353. Voce passiva fruuntur:

1º Ad munus Vocalis pro Capitulo Vicariali, Viceprovinciali, Provinciali et Delegationis Generalis: religiosus sollemniter professus, qui non sit ex iure membrum Capituli.

2º Ad munus Magistri Novitiorum atque Studentium proprie dicti et Rectoris: sacerdos, saltem a triennio sollemniter professus.

3º Pro munere vero Socii Magistri Novitiorum: religiosus, quamvis non sacerdos, qui ceteroquin

iisdem qualitatibus praeditus sit ac Magister Novitiorum.

4º Ad munus Adsistentis Provincialis et Viceprovincialis: religiosus, quamvis non sacerdos, saltem a triennio sollemniter professus.

5º Ad munus Vocalis pro Capitulo Generali et ad munus Adsistentis Generalis: religiosus, quamvis non sacerdos, saltem a sex annis sollemniter professus.

6º Ad munus Superioris Maioris: sacerdos saltem a triennio, a sex annis sollemniter professus.

354. 1º Qui ad munus Superioris, praesertim Superioris Maioris, exercendum designentur, ad gubernium idonei sint, experientiam sacerdotalem et pastoralem habeant, et ministerium nostrum vel aliud munus ex oboedientia ad tempus laudabiliter expleverint.

2º Expedit ut Magistri Novitiorum atque Studentium idoneam praeparationem ad munus exercendum accipiant.

355. P. Generalis, Adsistentes Generales et Procurator Generalis, durante munere, vocem passivam ad Provincialatum amittunt.

## De Capitulis in genere

356. Capitula possunt esse Localia, Vicarialia, Viceprovincialia, Provincialia, Delegationum Generalium et Generale.

357. A Supremo Moderatore praecedit intimatio pro Capitulis Generali et Provincialibus, necnon

aliarum Ditionum et Domorum sibi immediate subiectarum; a P. Provinciali vero, de auctoritate P. Generalis, pro Capitulis Viceprovincialibus, Vicarialibus et Localibus.

358. Ad dies determinandos pro Capitulo Provinciali celebrando, P. Generalis consulat Congregationem Provincialem respectivam.

359. Capitula Localia, Vicarialia et Viceprovincialia ante respectivum Capitulum Provinciale celebrentur; Capitulum autem Provinciale duobus mensibus anteibit Capitulum Generale. Capitulum Provinciale solum post mensem a celebratione Capitulorum Localium incipere potest.

360. P. Generalis, per se vel per alium in toto Ordine, ceteri Superiores Maiores in sua quisque Ditione possunt quibusvis Capitulis praeesse. Praesides autem in Capitulo nullum suffragium habent, nisi de eiusdem gremio sint. Capitulo Locali, nisi aliter Superiores Maiores statuant, praeest Rector.

361. Omnia Capitula habeant partes tres:

1º Serium et accuratum examen realitatis seu status actualis Domus vel Ditionis vel Ordinis eorumque Operum, prae oculis habita imprimis Relatione respectivi Superioris.

2º Electiones et candidationes.

3º Quandam planificationem cum examine suggestionum et propositionum quae cum ea connexionem habeant.

362. In Capitulis primo eligantur pluralitate votorum -sufficit maioritas relativa- Secretarius et Adiunctus qui, una cum Praeside, erunt electionum scrutatores. Omnes Capitulares officio muneris fideliter adimplendi tenentur et ad secretum naturale ligatos se sentiant.

363. Ad statum Domorum, Operum et Ditionum in melius promovendum, expedit ut Capitulum tam Viceprovinciale quam Provinciale in Commissiones inde ab initio dividatur, quae in studium Ditionis sub diversis eius adspectibus (religioso, pastorali, paedagogico, oeconomico, etc.) diligenter incumbant.
Inter Secretariatuum Oeconomiae functiones illa aderit per se vel per aliarum personarum ope, ante Capitulorum celebrationem, comprobandi administrationis data et elaborandi relationem, quae Commissioni de Oeconomia Capituli tradetur ad dictamen conficiendum (n. 434).

364. Electiones, quae fieri debent votatione canonica ad normam nn. 368-374, nisi aliud expresse caveatur, hae sunt:

1º Vocalium et Adiunctorum in Capitulis Vicarialibus, Viceprovincialibus, Provincialibus et Delegationum Generalium;

2º P. Provincialis et Adsistentium Provincialium in Capitulo Provinciali;

3º P. Viceprovincialis eiusque Adsistentium in Capitulo Viceprovinciae independentis; et, si casus ferat, Viceprovinciae dependentis;

4º P. Generalis et Adsistentium Generalium in Capitulo Generali.

365. Sufficit maioritas relativa:

1º in electione candidatorum ad munus Adsistentium Viceprovincialium in Capitulo Viceprovinciae dependentis et Delegationis Generalis;

2º in electione Vocalium et Adiunctorum ad Capitulum Provinciale vel Viceprovinciale, quos tota Provincia vel Viceprovincia et Vicariatus Provincialis eligit;

3º necnon in candidatione ad munus Provincialis vel Viceprovincialis vel Delegati Generalis.

366. Antequam ad Superiorum Maiorum electionem deveniatur, omnes et singuli Capitulares in conscientiam recipient se electuros quos dignos et aptiores esse existimaverint.

367. 1º In Capitulis tam Provincialibus et Viceprovincialibus quam in Capitulo Generali, antequam ad canonicas electiones deveniatur, saltem cum agitur de Superioribus et Adsistentibus, habeatur scrutinium exploratorium non canonicum, ad suffragantium opiniones cognoscendas et nimiam votorum dispersionem vitandam.

2º Si post scrutinium exploratorium aliquis ex candidatis graves rationes putat se habere ad munus non acceptandum, coram Capitulo eas exponat, cuius est rationes perpendere et, cum agitur de candidatis ad Generalatum vel Adsistentatum, renuntiationem acceptare vel denegare. Electione enim peracta, renuntiationi non est locus, nisi absens sit electus.

368. In quibusvis Capitulis, si electio fit per maioritatem relativam, is electus habeatur et a Praeside proclametur, qui, in unico scrutinio, maiorem suffragiorum numerum retulerit.

369. In omnibus Capitulis, si electio fiat per maioritatem absolutam suffragiorum, is electus habeatur et a Praeside proclametur, qui, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debeant, partem absolute maiorem suffragiorum eorum qui sunt praesentes, obtinuerit.

370. 1º Si post tria scrutinia nulla habeatur electio, fiat quartum scrutinium, in quo Capitulares eligere teneantur alterutrum ex duobus qui in tertio scrutinio plura habuere suffragia; si plures aequalia suffragia retulerint, duo concurrant qui, praeter maioritatem suffragiorum, seniores sint ex simplici professione; si in quarto scrutinio suffragia aequalia fuerint, electus habeatur senior ex simplici professione, quod si eodem die professionem emiserunt, senior aetate.

2º Si nemo ex duobus maioritatem absolutam obtinuerit, novum scrutinium fieri nequit, sed nova fiat computatio suffragiorum, et is electus habeatur et a Capituli Praeside proclametur, qui, demptis suffragiis nullis, suffragiorum numerum supra medietatem rettulerit ex suffragiis valide datis. Si autem suffragia aequalia fuerint, electus habeatur senior ex semplici professione, et si eadem die professionem emiserint, senior aetate.

371. Qui maioritate qualificata -id est, duabus ex tribus partibus suffragiorum- indigent ad secundam vel tertiam electionem consecutivam (nn. 397, 420, 423), amittunt vocem passivam si in prioribus tribus scrutiniis non fuerint electi.

In hoc casu, vocem passivam habent, in quarta votatione seu scrutinio, solummodo ii qui maioritate qualificata non indigent. Si ne quidem in quarto scrutinio nemo maioritatem absolutam acceperit, deveniendum est ad quintum scrutinium, in quo vocem passivam habebunt duo tantum qui maioritatem relativam suffragiorum in quarto scrutinio consecuti sint, et ad normam n. 370 procedendum est.

372. Ad quintum scrutinium valide deveniri nequit, nisi in casibus in quibus maioritas qualificata requiritur.

373. Si quis ex electoribus praesens in ea Domo sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur.

374. Cum iure nostro maioritas qualificata -id est, duae ex tribus partibus votorum- requiritur, computatio facienda est ad normam iuris; et si numerus suffragantium in tres partes non est exacte divisibilis, tunc sumendus est numerus propior altior duabus ex tribus partibus mathematice computatis.

375. Postulatio admittitur tantum in casu extraordinario et ad normam iuris.

376. 1º Si quis voci activae aut passivae vel utrique renuntiare velit, id scripto et expressis verbis faciat; quam renuntiationem acceptare potest Capituli Praeses, cui facultas est pro bono communi eum ad suffragium obligare.

2º Vocales ad Capitulum Generale vel Provinciale electioni renuntiare nequeunt sine venia a P. Generali vel a P. Provinciali respective scripto data.

3º Eligi non potest in Vocalem religiosus, qui sine iusta causa a Superiore Maiore probanda renuat Capitulo Locali adesse.

377. Excluditur facultas ferendi suffragium per epistolam vel procuratorem.

378. Suffragatio canonica propositionum aliorumque documentorum capitularium facienda est ad normam canonis 119, n. 2.

379. In Capitulis celebrandis, normae Directorii Capitulorum a Congregatione Generali approbati semper sunt observandae, sed praecipue cum de electionibus agitur.

## De Capitulo Locali

380. Capitulum Locale cogitur:

1º Ad accuratum examen peragendum -semper prae oculis habitis Programmationibus et Recognitionibus annuis- circa actualem statum Communitatis religiosae, necnon missionis Operumque eidem commendatorum. Superior Localis compendium quadriennii conficiet et Capitularibus tempestive ostendet.

2º a) Ad candidationes Vocalium et Adiunctorum pro Capitulo Provinciali faciendas et P. Provinciali mittendas; et, in Viceprovinciis independentibus, ad easdem candidationes faciendas et P. Viceprovinciali mittendas;

b) in Viceprovinciis dependentibus, ad candidationes Vocalium et Adiunctorum pro Capitulo Viceprovinciali faciendas et P. Viceprovinciali mittendas;

c) et, ubi habeatur electio Vocalium in Capitulo Locali, ad eandem perficiendam;

d) in Provincia stricto sensu, ad candidationes faciendas pro munere P. Provincialis et P. Provinciali mittendas;

e) in Viceprovincia independenti, ad candidationes pro munere P. Viceprovincialis faciendas et P. Generali mittendas;

f) in Viceprovincia dependenti, ad candidationes pro munere Provincialis et Viceprovincialis faciendas, et P. Provinciali mittendas, ut Congregatio Provincialis earum scrutinium perficiat;

g) in Delegatione Generali, ad candidationes pro munere Delegati Generalis faciendas et P. Generali mittendas.

3º Ad quandam planificationem faciendam et propositiones examini subiciendas.

381. Per tres menses ante Capituli Ditionis celebrationem, Domorum conditionem mutare non licet, si talis mutatio mutationem iurium, relate ad Capitula, tum Domorum tum personarum, secum ferat.

382. In Capitulo Locali, consodales voce activa praediti scripto facere possunt propositiones pro Capitulo Provinciali et Viceprovinciali, quae quamprimum Capitularibus Communitatis tradi debent.

383. In omnibus communitatibus a tribus aut pluribus membris vocem habentibus compositis, celebrabitur Capitulum locale administrativum ad res agendas et propositiones iudicandas.

A Congregatione Provinciali, cum 'nihil obstat' Congregationis Generalis, decernitur utrum religiosi sedis filialis exerceant iura eorum capitularia in Domo principali an in filiali sede; hoc idem dicatur de communitate compluris sedes atque in ipsius sede capitularem celebrationem habente.

384. Ad electionem Vocalium et Adjunctorum ad Capitulum Provinciale vel Viceprovinciale sequenti modo procedetur:

1º Capitulum Locale administrativum celebrabitur iuxta n. 383.

2º a) P. Provincialis vel P. Viceprovincialis tempore opportuno cum tota Provincia vel Viceprovincia respective communicabit numerum Vocalium et Adiunctorum eligendorum, ratione habita Capitularium ex iure.

b) Eodem tempore singulis religiosis, vocem activam habentibus, tradetur elenchus omnium consodalium voce passiva fruentium pro munere Vocalis; itemque alius elenchus illorum qui voce passiva gaudent pro munere Provincialis et Viceprovincialis, una cum schedulis respectivis.

c) In elencho Vocalium componendo tot nomina conscribant, quot sunt duae partes ex tribus numeri totalis Vocalium eligendorum; si is in tres partes non sit exacte divisibilis, tunc unusquisque consodalis, in scheda componenda, sumat numerum, qui sit propior duabus ex tribus partibus mathematice computatis.

d) In candidationibus Provincialium et Viceprovincialium, singuli electores tria aut duo nomina ordine praeferentiae proponant, prout

agatur de Provinciis formatis aut non formatis et de Viceprovinciis.

3º Durante Capituli celebratione sessio specialis habeatur, in qua sodales voce activa fruentes folium sine ulla subsignatione in involucro clauso in urnam coram omnibus deponant. Praeses cum scrutatoribus involucra enumeret, eadem singula sigillo Communitatis externe signet et in involucro magno claudat, quod postea ad P. Provincialem vel P. Viceprovincialem securiore modo mittendum curet.

4º Omnibus involucris acceptis, Congregatio Provincialis vel Viceprovincialis, sive per se sive per commissionem ab ipsis ad hoc specialiter designatam, scrutinium faciat. Prius in conscientiam recipient se secretum servaturos et munus recte obituros.

5º Scrutinio facto, illi declarentur et proclamentur Vocales et Adiuncti, qui maiorem suffragiorum numerum obtinuerint. Tot Adiuncti declarentur electi, quot quintam partem omnium Capitularium constituant.

6º Si plures consodales eundem suffragiorum numerum rettulerint, locum in elencho Vocalium et Adiunctorum occupent iuxta ordinem simplicis professionis et, si eodem die professionem emiserint, seniores aetate, usquedum requisitus numerus compleatur.

385. Si religiosus extra Provinciam vel Viceprovinciam nullae Communitati adscriptus commoratur, P. Provinciali vel Viceprovinciali mittet, modo sibi bene viso, candidatorum elenchos.
Circa casus speciales procedatur ut in nn. 238, 239, 240.

386. 1º Adiuncti electi supplent solummodo Capitulares ex electione designatos.

2º Si aliquis Vocalis ex iure supplendus sit et ipse pertineat ad Congregationem Provincialem vel Viceprovincialem, novum Vocalem designat Congregatio Generalis; in aliis casibus, Congregatio Provincialis vel Congregatio Viceprovincialis.

387. Elenchus Vocalium et Adiunctorum, una cum numero suffragiorum uniuscuiusque, cum omnibus consodalibus tempestive communicetur.

388. 1º In candidationibus Provincialium et Viceprovincialium respectivo Superiori Maiori, nempe P. Generali et P. Provinciali ad normam n. 380,2º d, e, f, mittendis, eodem modo procedetur ac in electione Vocalium.

2º Omnibus involucris acceptis et scrutinio facto (n. 384,4º), P. Provincialis mittat quam primum ad P. Generalem elenchum illorum qui ad munus Provincialis vel Viceprovincialis plura habuere suffragia, addito pro singulis numero suffragiorum et punctorum. P. Generali praevie annuente, P. Provincialis consodales Ditionis certiores reddere potest de hoc elencho.

3º Ad punctorum numerum computandum prae oculis habeatur quod suffragia primo loco obtenta duplicatum habent valorem (ex. gr. 50 x 2=100); quae in secundo loco sunt, simplicem habent valorem (v. gr. 20 x 1=20); quae in tertio loco veniunt, dimidium tantum valorem (v. gr. 20 x 0,5= 10).

4º Si ob errorem aliquis consodalis plura quam debuerat nomina in schedulis conscripserit tam in Vocalibus eligendis quam in Provincialibus et Viceprovincialibus candidandis, electiones et candidationes quae numerum iure statutum superant, invalidae sunt habendae.

389. In Domibus a P. Generali directe dependentibus, quae Ditionem non efformant, sequentes valeant normae:

1º His in Domibus celebrabuntur Capitula Localia, ast sine electionibus neque candidationibus Vocalium et Adiunctorum ad Capitulum Ditionale, et sine candidationibus in Capitulo Locali faciendis ad munera Provincialis vel Viceprovincialis.

2º In eo quod spectat ad elenchum omnium consodalium voce passiva fruentium pro munere Vocalis ad Capitulum Ditionis, quem P. Provincialis vel P. Viceprovincialis Viceprovinciae independentis tradere debet singulis religiosis vocem activam habentibus:

a) Harum Domorum sodales in elenchum inserantur et elenchum accipiant, et quidem ante Capitula Localia respectivae Provinciae vel Viceprovinciae independentis.

b) Ex elencho accepto, harum Domorum sodales candidationes perficient et eas, modo sibi bene viso, P. Provinciali vel respective P. Viceprovinciali Viceprovinciae independentis transmittent.

3º In eo quod attinet ad elenchum illorum qui voce passiva gaudent pro munere Provincialis

vel Viceprovincialis sive Viceprovinciae independentis sive Viceprovinciae dependentis, quem P. Provincialis vel P. Viceprovincialis tradere debet singulis religiosis vocem activam habentibus: idem valet ac ea, quae praescribuntur in 2º, a), b), mutatis mutandis.

4º Rectores, Magistri Novitiorum et Magistri Studentium harum Domorum Generalium aequales redduntur sicuti ceteri religiosi et possunt eligi Vocales ad Capitulum Provinciale Provinciae aut ad Capitulum Viceprovinciale Viceprovinciae independentis, cui respective incardinati manent.

5º Quoad cetera ad Capitulum Locale pertinentia, omnia fiant ut in Capitulis Localibus Provinciae congrua congruis referendo.

## De Capitulo Provinciali

390. Capitulum Provinciale, singulis quattuor annis celebrandum, solum post mensem a celebratione Capitulorum Localium incipere potest.

391. Capitulum Provinciale cogitur:

1º Ad examinandum statum Communitatum, Vicariatuum Provincialium, Viceprovinciarum et Provinciae, eiusque Operum, ope relationum quae in Capitulis Localibus, Vicarialibus, Viceprovincialibus, necnon a Congregatione Provinciali paratae sunt.

2º Ad candidationes et electiones faciendas, videlicet:

a) ad constituendam novam Congregationem Provincialem;

b) ad Vocalem vel Vocales cum respectivis Adiunctis eligendos, qui proximum Capitulum Generale adeant.

3º Ad quandam planificationem perficiendam et propositiones cum ea connexas pertractandas, a Capitulis Localibus, Vicarialibus et Viceprovincialibus, necnon a Congregatione Provinciali et Capitularibus allatas; et ad res dubias difficilesque disceptandas.

392. In Capitulis Provincialibus:

1º Vocem activam habent:

a) Provincialis eiusque Adsistentes;

b) qui munere Generalis, Adsistentis Generalis vel Procuratoris Generalis, saltem per triennium, functi sint, in Provincia in qua degunt; ex-Provincialis, qui munere per quadriennium functus sit, in sua Provincia; sed solum in primo Capitulo post expletum munus;

c) Viceprovinciales;

d) Oeconomus Provincialis et Secretarius Provincialis, si reliquas conditiones ad munus Vocalis habeant;

e) Superiores Vicariales;

f) Rectores omnium Communitatum Provinciae stricto sensu sumptae;

g) Magistri Novitiorum et Magistri Studentium Provinciae proprie dicti;

h) Vocales Provinciae, Viceprovinciarum et Vicariatuum Provincialium.

2º Conceditur Provinciis ut Congregatio Provincialis respectiva, approbante Congregatione Generali, statuere possit alium modum proximi Capituli Provincialis constituendi, cum religiosorum numerus ita sit exiguus ut omnes esse Capitulares possint, salvis praescriptis in Constitutionibus et iis quae in hoc n. 392, 1º et 3º continentur.

3º Vocem passivam habent:

a) ad Provincialatum: n. 353, 6º;

b) ad Adsistentatum Provincialem: n. 353, 4º;

c) ad munus Vocalis pro Capitulo Generali: n. 353, 5º.

4º Vocem sine voto habent religiosi et laici de quibus in n. 350, 3º.

393. 1º Congregatio Generalis candidet ad munus Provincialis saltem tres vel duos ex elencho sex vel quattuor consodalium a Congregatione Provinciali Provinciae formatae vel non formatae respective praesentato, eorumque nomina Capitulo Provinciali mittat, Capitularibus, inito iam Capitulo, tempore opportuno ante sessionem sollemnem communicanda.

2º Congregatio Generalis ad vitanda incommoda ex intempestiva renuntiatione profluentia, consodales candidatos praemo-nere debet.

3º Si quis candidatorum graves rationes putat se habere ad renuntiandum voci passivae, renuntiationem exhibeat Congregationi Generali, cuius erit rationes perpendere et renuntiationem acceptare vel denegare.

Hic elenchus constituitur ex illis sex vel respective quattuor consodalibus qui in propositionibus religiosorum maiorem punctorum numerum obtinuerint et qui praediti sint dotibus ad Provincialatum requisitis.

394. Capitulum Provinciale ex his candidatis votatione canonica eligat P. Provincialem, qui a Preside Capituli nomine P. Generalis statim confirmabitur et in possessionem officii intrabit. Quae valent pro Provinciis formatis et non formatis.

395. Capitulum Provinciae formatae, si id Superior Maior modo electus probet et Capitulum Provinciale et Congregatio Generalis approbarent, eliget quattuor Adsistentes provinciales, aut tantum duos. Capitulum vero Provinciae non formatae, si Congregationi Generali placet et secundum tenorem n. 279, eliget quoque quattuor vel duos Adsistentes provinciales qui, ut primum electi fuerint, corroborati erunt a Capituli Praesidis pro Patre Generali.
Capitulum Provinciale, votis canonicis, decernat si Adsistentes eligendi sint ad areas ab eodem Capitulo definitas, aut si hoc decernendum sit a futura Congregatione Provinciali utcumque convenientius eidem videatur.

396. Antequam ad scrutinium exploratorium deveniatur (n. 367), P. Provincialis electus aliqua nomina ad Adsistentium munus proponere potest.

397. P. Provincialis et Adsistentes Provinciales ad quadtriennium eligantur. Ad tertiam autem electionem consecutivam maioritas qualificata requiritur. Ad quartam vero electionem consecutivam amittunt vocem passivam.

398. In Capitulo Provinciali, Provinciae formatae duos eligent Vocales ad Capitulum Generale; Provinciae vero non formatae unum; salvo praescripto n. 417.

## De Capitulo Viceprovinciali

399. In Viceprovinciis independentibus, Capitulum Viceprovinciale aequiparatur Capitulis Provincialibus in eo quod ad intimationem eiusdem a Supremo Moderatore faciendam et ad electionem P. Viceprovincialis eiusque duorum Adsistentium attinet; intimatio pro Capitulis Localibus, de auctoritate P. Generalis, a P. Viceprovinciali fit; quoties vero Capitulum Generale celebratur, Capitulum Viceprovinciale huiusmodi praecedit Capitulo Generali.

400. Capitulum Viceprovinciale in Viceprovinciis dependentibus cogitur:

1º Ad examinandum statum Communitatum, Viceprovinciae eiusque Operum iuxta relationes in Capitulis Localibus et a Congregatione Viceprovinciali paratas.

2º Ad electiones et candidationes faciendas, nempe:

a) Ad proponenda, secundum maioritatem relativam (cfr. n. 365), votationibus separatim peractis, quattuor nomina ex quibus Congregatio Provincialis, quantum fieri potest, duos Adsistentes Viceprovinciales nominare tenetur.

b) Ad eligendos de gremio Capituli duos Vocales, qui una cum P. Viceprovinciali Capitulum Provinciale adeant et ad unum

Adiunctum eligendum; hic Adiunctus non necessario de gremio Capituli sumendus est neque necessario in Viceprovincia tunc commorari debet.

c) In Viceprovinciis quae saltem viginti religiosos inscriptos, habent, unus Vocalis et unus Adiunctus de gremio Capituli eligentur ad Capitulum Generale (cfr. n. 401).

3º Ad quandam planificacionem perficiendam et propositiones cum ea connexas pertractandas, a Capitulis Localibus, a Congregatione Viceprovinciali et a Capitularibus allatas; necnon ad alias res dubias difficilesque disceptandas.

401. Adiunctus ad Capitulum Generale suppleat tum Viceprovincialem tum Vocalem, si adsit, impeditos vel, in Capitulo Provinciali, ad munus Provincialis promotos.

402. Membra Capituli Viceprovincialis sunt:

1º Viceprovincialis eiusque Adsistentes.

2º Qui sub n. 392,1º,b, si in Viceprovincia degant; et ex-Viceprovincialis in sua Viceprovincia; sed tantum in primo Capitulo post expletum munus.

3º Secretarius et Oeconomus Viceprovinciales, si reliquas conditiones ad munus Vocalis habeant.

4º Rectores omnium Communitatum Viceprovinciae.

5º Magistri Novitiorum et Magistri Studentium proprie dicti Viceprovinciae.

6º Vocales Viceprovinciae.

7º Possunt Capitulo adesse cum voce sine voto sodales et laici de quibus in n. 350, 3º.

403. Conceditur Viceprovinciis, tam dependentibus quam independentibus, ut Congregatio Viceprovincialis statuere possit alium modum proximi Capituli Viceprovincialis constituendi cum religiosorum numerus ita sit exiguus ut omnes esse Capitulares possint, a Congregatione Generali, audita Congregatione Provinciali, si de Viceprovinciis dependentibus agatur, approbandum, salvis praescriptis in Constitutionibus et iis quae in n. 402 Regularum continentur.

404. In provisione munerum, in Viceprovincia dependenti facienda, si agatur de P. Viceprovinciali, tum tempore capitulari tum extracapitulari requiritur "nihil obstat" Congregationis Generalis; si vero agatur de Adsistentibus Viceprovincialibus, idem "nihil obstat" requiritur tempore extracapitulari.

405. Provisio munerum fieri potest tum per nominationem, a P. Provinciali de consensu sui Consilii faciendam, tum per electionem in Capitulo Viceprovinciali peragendam.

406. Congregatio Provincialis, tempore capitulari, de consensu Congregationis Generalis et audita, quoad fieri possit, Viceprovincia, decernere debet utrum pro illa vice facultas eligendi Viceprovincialem eiusque Adsistentes concedenda sit Capitulo Viceprovinciali vel non; quae decisio statim notificanda est Viceprovinciae.

407. Provisio munerum fiet prout sequitur:

1º Acceptis propositionibus, a consodalibus Viceprovinciae in Capitulis Localibus factis, et scrutinio peracto (n. 388,1º,2º), elenchus quattuor candidatorum pro munere

Viceprovincialis conficiatur, prae oculis habitis tum propositionibus consodalium tum facultate P. Provincialis nomina substituendi vel alia addendi, et elenchus ita paratus P. Generali mittatur ad "nihil obstat" Congregationis Generalis obtinendum.

2º Quo obtento, Congregatio Provincialis consodalem, quem nominare intendit, praemoneat. Si autem candidatus munus acceptare renuerit, ipsa Congregatio Provincialis rationes candidati perpendet et renuntiationem acceptabit vel denegabit.

3º Denique, acceptis a Capitulo Viceprovinciali candidatis pro munere Adsistentium, P. Provincialis, de consensu sui Consilii, sive ante sive post Capitulum Provinciale, nominabit Viceprovincialem itemque Adsistentes Viceprovinciales, quantum fieri poterit, ex quattuor candidatis a Capitulo Viceprovinciali praesentatis.

4º Tempore extracapitulari, ad Adsistentes Viceprovinciales nominandos requiritur "nihil obstat" Congregationis Generalis.

408. Si provisio fiat per electionem in Capitulo Viceprovinciali:

1º Acceptis propositionibus pro munere Viceprovincialis, a consodalibus Viceprovinciae in Capitulis Localibus factis et scrutinio peracto (n. 388,1º,2º), elenchus, uti in n. 407,1º dictum est, conficiatur et P. Generali mittatur ad "nihil obstat" Congregationis Generalis obtinendum.

2º Quo obtento, Congregatio Provincialis ad vitanda incommoda ex intempestiva

renuntiatione profluentia, consodales candidatos praemonere debet. Si quis ex candidatis graves rationes putat se habere ad munus non acceptandum, renuntiationem exhibeat Congregationi Provinciali, cuius erit rationes perpendere et renuntiationem acceptare vel denegare.

3º Supradictis peractis, Congregatio Provincialis candidet saltem duos consodales pro munere Viceprovincialis, et proponat, si velit, aliquos consodales pro munere Adsistentium Viceprovincialium.

4º Elenchus ita compositus, bene distinguendo inter candidatos ad Viceprovincialatum et propositiones ad Adsistentatum, in involucro clauso et sigillo Provinciae munito, in Capitulo Viceprovinciali coram Capitularibus aperiendo, mittatur P. Viceprovinciali.

5º Electio P. Viceprovincialis fieri debet ex candidatis a Congregatione Provinciali praesentatis; electio vero Adsistentium libere fieri potest sive ex religiosis a Congregatione Provinciali praesentatis sive ex aliis consodalibus in Viceprovincia degentibus.

6º Tam Viceprovincialis quam Adsistentes a Praeside Capituli, nomine P. Provincialis, confirmationem accipient.

409. Capitulum Provinciale, consulta Congregatione Generali, et audita Viceprovincia, modo a Congregatione Provinciali definiendo, poterit, si velit, statuere utrum designatio P. Viceprovincialis eiusque Adsistentium per nominationem an per electionem sit peragenda.

## De Capitulo Vicariali

410. Capitulum Vicariale cogitur:

1º Ad accuratum examen circa statum Communitatum, Vicariatus, eorumque Operum, peragendum.

2º Ad eligendum unum Vocalem pro Capitulo Provinciali, si conditiones adsint.

3º Ad quamdam planificationem faciendam et propositiones examinandas.

411. Constitutio Capituli Vicarialis in Statutis Vicariatus definietur: quaenam repraesentatio in Capitulo Vicariali Domibus concedatur; utrum omnes religiosi in Capitulo partes agant, dummodo conditiones ad munus Vocalis adimpleant, an non.

412. Si Vicariatus Provincialis habeat saltem decem religiosos voce activa gaudentes, ex quibus saltem duo voce passiva fruantur, tunc, praeter Superiorem Vicarialem qui est Capitularis ex iure, eligatur unus Vocalis pro Capitulo Provinciali. Quoad cetera, P. Provincialis una cum P. Superiori Vicariali provideat in singulis casibus et ad normam Statutorum.

## De Capitulo Generali

413. Capitulum Generale, in quo Communitas Generalis maxime exprimitur, est supremum Ordinis organum, cui soli potestas legislativa demandatur. Sexto quoque anno celebrabitur, tempore a P. Generali definiendo, qui accurate illud praeparare et eius decreta, per se vel per Commissiones ad id deputatas, exsecutioni mandare tenetur.

414. In Capitulo Generali celebrando servandae sunt normae in Constitutionibus, Regulis et Directorio contentae.

415. Capitulum Generale convocabitur:

1º Ad statum Ordinis examinandum, ope relationis Congregationis Generalis, necnon aliorum documentorum et propositionum ad rem pertinentium.

2º Ad electionem novi Patris Generalis eiusque quattuor Adsistentium.

3º Ad quandam planificationem faciendam et propositiones Capitulorum Provinciarum, Viceprovinciarum independentium et Delegationum Generalium, Capitularium et Congregationis Generalis pertractandas, salvo iure cuiuslibet sodalis iuxta can. 631, par. 3, necnon ad alias res graviores disceptandas.

416. In Capitulo Generali suffragium ferunt:

1º P. Generalis eiusque Adsistentes Generales, necnon Procurator Generalis.

2º Qui munere Generalis per sexennium functi sint; quod ius respicit solummodo primum subsequens Capitulum post expletum munus.

3º Omnes Superiores Maiores.

4º Oeconomus Generalis et Secretarius Generalis, si requisitas conditiones ad munus Vocalis habeant.

5º Vocales legitime electi, qui non minus sint quam participantes ex iure.

417. Si, praeter Vocales de quibus in n. 398, alii Vocales adhuc sint eligendi ad parem numerum Capitularium ex iure et ex electione obtinendum, Ditiones, incipiendo ab illis quae maiorem consodalium numerum habent, alium Vocalem eligant, usquedum requisitus numerus compleatur.
P. Generalis, ante Capitulorum celebrationem, Ditiones, quarum interest, praemonere debet de electione facienda.

418. Si Congregationi Generali bene visum fuerit, ipsa poterit alios vocare, qui certis Capituli Generalis sessionibus adsint cum voce sine voto. Iidem possunt esse consodales Ordinis vel laici cum eo adstricti; necnon interdum et in casibus seu questionibus specialibus, etiam alii Ordinis externi, qui sint rei periti.

419. Praescripta Capituli Generalis obligant ex die quo a P. Generali promulgantur. Promulgatio quantocius fiet in commentario Ordinis officiali. P. Generalis ius habet acta Capituli Generalis edendi, eiusdem praescripta omnia in unum colligendi ac publicandi, si opportunum visum fuerit.

420. P. Generalis eligatur ad sexennium, quin necessario de gremio Capituli sit adsumendus. In P. Generalis electione -expleto sexennio- ad eius immediatam reelectionem requiruntur duae ex tribus partibus suffragiorum; ideoque si in tribus prioribus scrutiniis electio non habeatur, inde a quarto scrutinio Genera lis decedens amittit vocem passivam ad Generalatum.
Ad tertiam vero electionem consecutivam amittit vocem passivam.

421. Post P. Generalis electionem eligantur, ad sexennium, quattuor Adsistentes, non praecise de gremio Capituli. Singuli tamen Adsistentes in singulis sessionibus eligantur.

422. Ante scrutinium exploratorium (n. 367), P. Generalis electus aliqua nomina proponere potest pro munere Adsistentium.

423. Adsistentes Generales, sexennio expleto, iterum immediate eligi possunt, duabus ex tribus partibus suffragiorum (n. 371). Ad tertiam vero electionem consecutivam amittunt vocem passivam.

## De nominationibus

424. 1º Iure nostro electiones canonicae, in quibus principia iuris universalis de electionibus applicari debent, illae tantum sunt, quae sub n. 364 continentur; quo non obstante, designationes -licet non sint electiones sensu iuridico- et nominationes, quae sequuntur, suffragatione secreta seu scrutinio fieri debent:

a) Tempore capitulari, candidationes ad munera Provincialis et Viceprovincialis a Congregatione Generali, et nominatio Viceprovincialis a Congregatione Provinciali faciendae.

b) Tempore capitulari et extracapitulari, nominationes Superioris Vicarialis, Superiorum Localium et Magistrorum Novitiorum ac Studentium tum in Provinciis tum in Viceprovinciis, ad propositionem P. Provincialis, a Congregatione Provinciali faciendae; in Viceprovinciis vero dependentibus, audito prius Superiore Maiore cum suo Consilio.

c) Tempore extracapitulari, nominatio a Congregatione Provinciali, ad propositionem P. Provicialis, pro munere P. Viceprovincialis et pro Adsistentatu Provinciali et Viceprovinciali.

d) Tempore extracapitulari, nominationes Provincialis et Viceprovincialis Viceprovinciae independentis, necnon Delegati Generalis tempore capitulari et extracapitulari, a Congregatione Generali, ad propositionem P. Generalis, faciendae.

e) Tempore extracapitulari, nominatio Adsistentis Generalis a Congregatione Generali, ad propositionem P. Generalis, facienda.

f) Tempore capitulari et extracapitulari, nominatio Rectorum et Magistrorum Novitiorum et Studentium in Domibus Generalitiis, ad propositionem P. Generalis, a Congregatione Generali facienda.

g) Tempore capitulari et extracapitulari, circa nominationes et designationes Viceprovinciae independentes eodem modo procedant ac Provinciae.

2º "Nihil obstat", a Congregatione Generali dandum, requiritur ad nominationes de quibus supra, in 1º, sub b) et c).

## De renuntiationibus

425. Si P. Generalis muneri suo renuntiare decreverit, suam voluntatem Consilio Superiorum Maiorum patefaciat, rationibus pro sua prudentia allatis.

Consilium autem Superiorum Maiorum, re mature discussa, votatione secreta consultiva, opinionem suam circa P. Generalis decisionem promat. Tunc tantum P. Generalis S. Sedi renuntiationem praesentabit una cum exitu votationis Consilii Superiorum Maiorum.

426. Renuntiatio Adsistentium Generalium, Superiorum Maiorum, Officialium Curiae Generalis, Adsistentium Delegationis Generalis et Viceprovinciarum independentium, Superiorum Localium Domorum Generalitiarum, Magistrorum Novitiorum et Studentium in Domibus Generalitiis et Interditionalibus proprie dictis, in scriptis praesentanda, a Congregatione Generali acceptari potest.

427. Renuntiatio Superiorum et Officialium, qui cum “nihil obstat” Congregationis Generalis nominantur, et renuntiatio Adsistentium Provincialium et Adsistentium Viceprovinciarum dependentium, in scriptis praesentanda est; et Congregatio Provincialis, ut eam acceptet, Congregationis Generalis “nihil obstat” pariter indiget.

428. Renuntiatio ceterorum Officialium, pariter in scriptis praesentanda, a respectivo Superiore Maiore, qui eos nominavit, acceptari potest audito suo Consilio.

**Caput VII**

# DE BONIS TEMPORALIBUS ADMINISTRANDIS

## Principia generalia

429. Sub administrationis adspectu:

*a)* *Patrimonium* nuncupatur universitas bonorum, iurium et obligationum cuiusvis generis, quorum titulum seu juridicam responsabilitatem Communitas Generalis, aliqua Communitas Ditionalis vel aliqua Communitas Localis ostentat et quae Ordinis recursus constituunt, quorum ope ipse Ordo suos fines et proposita exsequi valet.

b) Nomine *tituli possessionis* venit iurium et obligationum attributio, una cum respectivis facultatibus proprium patrimonium administrandi ac disponendi, quas ius nobis agnoscit.

430. Administrationis fundamentum:

1º Paupertatis et responsabilitatis socialis causa, patrimonii administratio accuratissime duci debet, iuxta ius proprium, ius canonicum et ius civile.

2º Ob oeconomici ambitus exigentias ac peculiaritates, haec statuitur generalis margo, quae Constitutiones concretas reddit et quae ex sua parte explicabitur per Directorium, a Congregatione Generali approbatum, quodque ad diversa Ditionum Oeconomiae Statuta redigenda pauta et norma erit.

3º Haec Oeconomiae Statuta explicanda sunt intra legum ambitum nationis necnon iuris canonici universalis ac proprii, et approbanda a respectivae Ditionis Superiore Maiore, audita Congregatione Generali.

431. De iure subjecta administrationis:

1º Ordo Scholarum Piarum, Provinciae, Viceprovinciae sive independentes sive dependentes, Vicariatus Provinciales, Delegationes Generales, aliaque possibilia entia constituenda, necnon omnes Communitates canonice erectae, sunt personae iuridicae seu subiecta iurium et officiorum, id est: gaudent, uti dicitur, personalitate iuridica publica.

2º Ideoque capaces sunt acquirendi, possidendi, administrandi et alienandi patrimonium, titulum eiusdem concedendi, ostentandi ac gerendi, et omnes actus iuridicos exercendi, qui ad bonam administrationem, sive ordinariam sive extraordinariam, necessarii sint, ad normam iuris vigentis.

3º Hoc autem ius circa patrimonium limitatur tum iure universali, cum sint bona ecclesiastica, tum iure nostro.

432. Unaquaeque Ordinis persona juridica de propriis actibus canonice et civiliter respondit:

a) Ideo si debita et/vel obligationes contraxerit, etiam cum Superiorum licentia, ipsa tenetur de iisdem respondere.

b) Personae physicae pro seipsis respondent, nisi de mandato scriptis dato sui Superioris egerint vel suas functiones stricte exequendo. Tunc respondere debet respectiva persona iuridica Ordinis.

c) Si contraxerit persona physica sine ulla Superiorum licentia, citra suum statum vel conditionem, tum actione personali privata, tum qua membrum alicuius coetus vel societatis (cfr. n. 248), ipsamet respondere debet, non autem Ordo nec Ditio nec Communitas, nec Opus.

433. Administrationis responsabiles:

1º Superiores (videlicet P. Generalis in toto Ordine, PP. Delegati Generales, Provinciales, Viceprovinciales, et Superiores Vicariales in sua quisque Ditione; necnon Superiores Locales in suis Communitatibus) sunt ultimi responsabiles, intra proprium actionis ambitum, de patrimonio gerendo, de tituli posessione servanda atque de Operis activitate evolvenda et in futurum projicienda. Propriam responsabilitatem exercentes, Oeconomos (seu Administratores) proponere seu nominare debent, prae oculis habitis praeceptivis consiliis peragendis sive normis adimplendis et a iure indictis.

2º Hi Superiores atque Oeconomi (seu Administratores) cuiusvis gradus vel categoriae intra proprii muneris fines, iuxta iuris ecclesiastici et civilis praescripta, expensas

et actus iuridicos tam ordinariae quam extraordinariae administrationis valide et licite facere valent, semper autem iuxta praevias aestimationes approbatas et normas in Ordine vigentes.

3º Cum quaedam persona physica vel iuridica Ordinem, Ditiones, Communitates vel Opera repraesentat, in omnibus iuxta iuris normas et Superiorum competentium orientationes procedere debet.

4º Directorium Oeconomiae et cuiusvis Ditionis Statuta contineant oportet attributiones quas P. Generalis vel Superior Maior cuilibet delegat, qui entis titulum habentis repraesentationem, vel responsabilitatem supra patrimonium vel Operis directionem et gestionem detinet.

5º Cum, ob leges civiles, Ordo vel aliquod eiusdem Ens vel quodcumque aliud Ordini exterum alicui sodali sollemniter professo bona adiudicant, sodalis omnia statim ita disponat ut bona iuste et legitime transmi ttantur Ordini vel illi Enti nostro, a quo ipse horum bonorum commissionem accepit. Haec eadem regula servabitur in receptione pensionis, assecurationis vel compensationis.

434. Fundamentalia administrationis principia:

1º Recta administratio postulat ut omnes Communitates et singuli consodales responsabilitatis circa patrimonium participes fiant, etiam circa modum quo in usum deducitur; quod eodem tempore secumfert veram cum paupertate relationem, nam eiusdem practicum exercitium considerari potest.

2º Superiores autem et Oeconomi (seu Administratores), uti fideles et prudentes gestores, sollicite curam habeant rerum oeconomiae in caritatis obsequio.

## Administrationis gestio

435. Ad oeconomiae bona administranda:

a) Superiores Maiores uniuscuiusque Ditionis, consulto suo Consilio et ad normam n. 259, constituant Oeconomum (seu Administratorem) Communitatum, Operum et Ditionis. Simili modo P. Generalis constituet Oeconomum (Admnistratorem) Communitatum et Operum sibi immediate subjectarum, necnon Oeconomum (Administratorem) Ordinis.

b) Congregatio Generalis et Congregationes Ditionales respectivum debent convocare Oeconomum (seu Administratorem) coetibus suis, cum de rebus oeconomicis agatur, ut aptas decisiones ope eius informationum et assessurae capere valeant.

436. Omnes Oeconomi (seu Administratores), sub directione et licentia Superiorum, semper intra fines praeviae aestimationis approbatae, responsabilitatem proprie dictam habent in negotiis suum munus respicientibus.

437. Munus Oeconomi (seu Administratoris) in propria Ditione ipsi Superiores Maiores gerere nequeunt.

438. Oeconomi Generalis, Provincialis atque, in quantum fieri possit, Viceprovinciarum, Vicariatuum Provincialium et Delegationum

Generalium, in munere suo obeundo, adiutorium habeant Secretariatuum Oeconomiae. In Secretariatuum constitutione hae serventur normae:

1º In Ditione a Superiore Maiore designabitur Secretariatus Oeconomiae ex tribus saltem membris compositus. In ipso partes agent: unus Adsistens Provincialis vel Viceprovincialis (oeconomiae si adest) vel unum Ditionis membrum, Oeconomus Ditionis et aliud membrum vel alia membra a Superiore Maiore, audito suo Consilio, nominata.

2º Pro toto Ordine adsit Secretariatus Oeconomicus a P. Generali constitutus, audito suo Consilio, sub praesidentia Oeconomi (seu Administratoris) Generalis, vel unius Adsistentis Generalis, vel alicuius rei oeconomicae vere periti.

3º Opportunum videtur ut Secretariatus isti recurrere possint ad collegium assessorum technicum, utpote auxilium externum.

439. Oeconomus (seu Administrator) Localis est unus Communitatis administrator, sicut etiam cuiusvis oeconomiae ab illa dependentis, sub directione Superioris. In parvis Communitatibus, a Congregatione Provinciali determinandis, Superior gerere quoque poterit administrationem.

## Administrationis systema

440. Ut quidam, sodalis vel laicus, administrationis actus in exequendis officiis a Superiore sibi commendatis facere valeat, opus est ut, si lex civilis hoc exigat, accipiat facultates a notario

exaratas quae perpendant et clare statuant ipsarum ambitum et durationem, atque ut pervigiletur utrum exercitium harum facultatum facultatibus ipsis concessis conforme sit.

441. Actus ordinariae administrationis ad patrimonii gestionem referuntur circa exsolvendas n ecessitates vitae ordinariae et institutionum regularis exercitationis, necnon circa ipsius conservationem et sustentationem. Ad eorum validitatem requiritur inclusio in praevia accepti et expensi aestimatione approbata, secus actus deveniunt extraordinariae administrationis. Actus administrationis extraordinariae illi sunt qui limites et modum ordinariae excedunt:

1. Quoad finem: actus qui ad quamlibet patrimonii modificationem, nulla habita ratione magnitudinis, magnae vel parvae, mutationis (cfr.Const.139), referuntur.

2. Quoad modum:

a) Actus qui ex fine ad administrationem ordinariam pertinent, sed in praevia accepti et expensi aestimatione rite approbata non sunt inclusi.

b) Magnum, summatim, praeviae accepti et expensi aestimationis approbatae augmentum (superans tertiam partem summae a Sancta Sede indictae pro alienationibus, addita inflatione), causis variationis rationum oeconomicarum affectarum non perpensis.

c) Actus qui ex fine ad administrationem ordinariam pertinent et in praevia accepti et

expens i aestimatione sunt inclusi, quorum autem summa facultatem personae qui illos implere debet, superat.

442. Singulis annis Oeconomus (seu Administrator), sub respectivi Superioris directione, praeviam accepti et expensi aestimationem conficere debet, quae includat oportet quidquid ad quemlibet ordinariae et extraordinariae administrationis actum refertur.

443. Omnes praeviae aestimationes approbandae sunt:

a) In primo, a respectivo ente (Communitate Locali, Opere, Ditione).

b) Penitus, ab ente superiore.

c) Praevia autem aestimatio Capsae Ordinis a Con-gregatione Generali.

444. Cum de administrationis extraordinariae actibus agitur et in qualibet operatione in qua conditio patrimonialis personae iuridicae peior fieri potest, sequentes serventur normae:

1º Licentia Sanctae Sedis requiritur quoties agitur:

a) De patrimonio alienando vel debitis contrahendis, ultra summam a S. Sede statutam.

b) De patrimonio alienando ex voto Ecclesiae donato aut de alienandis rebus pretiosis artis vel historiae causa.

c) His in casibus, semper insuper requiritur praevia licentia a P. Generali de consensu sui Consilii danda.

2º Requiritur consensus Congregationis Generalis:

a) In elocando vel conducendo, vel alienando patrimonio, vel in debitis contrahendis, si valor tertiam partem excedat summae a S. Sede, de qua supra, definitae.

b) In aliis expensis extraordinariis faciendis, quotiescumque istae duas ex tribus partibus (2/3) summae a S. Sede statutae excedant.

3º In locationibus prae oculis habendae sunt normae a respectiva Conferentia Episcoporum statutae, firmo praescripto supra sub 2º,a).

4º PP. Provinciales ad problemata de re oeconomica in Viceprovinciis dependentibus et Vicariatibus Provincialibus solvenda, normas concretas cum iure nostro (n. 445,2º) congruentes dare debent. Similiter agat P. Generalis erga Communitates sibi immediate subiectas, Viceprovincias independentes et Delegationes Generales (n. 445, 1º).

445. Superiores indigent consensu sui respectivi Consilii in casibus in quibus ius universale vel proprium id requirit, quorum praecipui hic sequuntur:

1º P. Generalis indiget consensu sui Consilii:

a) in expetendis licentiis a S. Sede;

b) in actibus administrationis extraordinariae quoad Patrimonium a Congregatione Generali dependens;

c) in concedendis licentiis a Superioribus Maioribus postulatis;

d) in concedendis licentiis a Superioribus Communitatum, quae a P. Generali directe pendent, postulatis;

e) in oneribus perpetuis acceptandis;

f) in pecunia collocanda;

g) in quibuslibet expensis ultra summam ab ipsa Congregatione Generali statuendam;

h) in praevia aestimatione annua pro Patrimonio a Congregatione Generali dependenti approbanda;

i) in praeviis aestimationibus Provinciarum approbandis;

j) in praeviis aestimationibus Domorum et Operum, quae a P. Generali directe pendent, approbandis;

k) in taxa pro Ordinis necessitatibus imponenda.

2º P. Provincialis indiget consensu sui Consilii:

a) in expetendis licentiis a Congregatione Generali et a S. Sede;

b) in actibus administrationis extraordinariae (n. 444);

c) in concedendis licentiis a Viceprovinciis, Vicariatibus Provincialibus, Comunitatibus et Operum Directoribus postulatis;

d) in praeviis aestimationibus annuis Provinciae, Communitatum et Operum approbandis;

e) in expensis quibuslibet ultra summam ab ipsa Congregatione Provinciali statuendam;

f) in oneribus perpetuis pro sua Ditione acceptandis;

g) in pecunia collocanda.

Quae hic praescribuntur valent etiam de aliis Superioribus Maioribus, congrua congruis referendo.

3º Superior Localis indiget consensu Communitatis:

a) in expetendis licentiis a Congregatione Ditionali et respective a Congregatione Generali et a S. Sede;

b) in actibus administrationis extraordinariae;

c) in quibuslibet expensis ultra summam a Congregatione Ditionali statuendam vel ultra decimam partem illarum pro quibus approbatio Congregationis Generalis requiritur;

d) in praevia aestimatione annua pro Communitate religiosa, et, si casus ferat, pro Opere approbanda, iuxta Statuti Ditionalis praescripta;

e) in oneribus perpetuis pro Communitate acceptandis, salvo iure Superioris Maioris hac in re.

446. Circa consensum exquirendum et licentiam concedendam in rebus oeconomicis, sequentes valent normae:

1º Expositio rationum quibus propositum innititur, addenda est.

2º Explanatio aliarum notitiarum antecedentium, quas competens auctoritas postulet, est reddenda.

3º Consensus Communitatis et diversarum Congregationum per secreta suffragia manifestandus est.

4º Consensus ita obtentus in libro Secretarii vel in Actis Congregationis constare debet.

5º Si licentia vel consensus pro constructionibus expostulatur, semper, praemisso maturo peritorum voto circa locum et cetera necessaria, totius aedificationis delineatio una cum praevisione expensarum indicationeque ex quonam fonte pecunia sumatur, necnon praevisiones pro debitorum amortisatione, afferendae sunt.

6º Cum de patrimonii alienatione aut locatione agitur, in exquirendo consensu exhibeatur relatio viri periti, scriptis facta, circa valorem patrimonii alienandi vel locandi seu commodandi et circa pretium locationis.

7º Si res alienanda sit divisibilis, in petenda licentia pro alienatione partiali exprimi debent partes antea alienatae.

8º In precibus quibuslibet pro obtinendo consensu seu licentia ad contrahenda debita et obligationes, exprimi debet status rationis acceptorum

et expensarum Ditionis, in quo includantur omnia debita et obligationes quibus Ordo, Ditio, Communitas et Opus ad illum diem gravantur.

9º Nunquam permittatur ut debita vel obligationes contrahantur, nisi certo constet debiti fenus ex consuetis reditibus posse solvi et intra tempus praefinitum per amortisationem reddi posse summam capitalem.

10º Preces ad P. Generalem per P. Provincialem, ad S. Sedem vero per Provincialem et Generalem mittantur.

11º In rebus oeconomicis, licentiae a Superioribus semper in scriptis dandae sunt.

447. In administrationis rebus, Directores Operum iuxta facultates et potestates concessas agent, quae autem in Ditionis Statuto determinatae prostent.

## Administrationis objectum

448. Unica sit gestio patrimonii Ordinis, quod constat omnibus illis bonis, quorum Communitas Generalis titulum habet. Ex huiusmodi patrimonii proventibus ac Ditionum vectigalibus subveniendum est:

a) sumptis quotidianis Curiae Generalis, necnon Secretariatuum Generalium;

b) Ditionibus indigentibus;

c) novis Fundationibus ac Missionibus;

d) iis Domibus a P. Generali dependentibus, quae hoc adiutorio indigent;

e) Vocationum Operi;

f) aliis inceptis quae ad bonum Ordinis pertineant.

449. Ad Ordinis necessitates subveniendas, Ditiones taxam annuam solvent, a P. Generali, iuxta propositiones Secretariatus Oeconomici Generalis, de consensu suorum Adsistentium et auditis Superioribus Maioribus, definiendam.

450. Idem omnino systema diversis in Ditionibus adhibebitur, nisi iam adsit in iisdem centralisatio oeconomica.

451. Congregatio Generalis, Congregationes Provinciales, et, P. Provinciali annuente, Ditiones dependentes: possunt, unaquaeque in suo ambitu, taxas sive ordinarias sive extraordinarias entibus a se dependentibus imponere.

452. Ad necessitates Ordinis, Ditionum, Communitatum et Operum subveniendas, Praepositus Generalis de consensu sui Consilii, vel respective Praepositus Provincialis de consensu suorum Adsistentium, servatis de iure servandis quoad requisitas licentias obtinendas, valide et licite possunt exercere actus extraordinariae administrationis cuiusvis generis super patrimonium totius Ordinis vel respectivae Ditionis. Possunt etiam iura Communitatum per modum actus limitare; et quidem non exclusis translatione, locatione, hypotheca et alienatione. Semper tamen praevie edoceantur et audiantur Communitas vel Communitates, quarum interest.

453. Praescriptis n. 140 Constitutionum obsequentes, singulae Ditiones centralisationem oeconomicam

introducent. Ideo Capitula Provincialia, prae oculis habitis circumstantiis proprii ambitus, determinent, intra limites suae iurisdictionis, vias concretas ad illam in praxim ducendam.

454. Communitates Locales bona ne congerant, sed administrationi centrali Ditionis, iuxta normas a Superioribus Maioribus de consensu sui Consilii latas, ea transferant.

455. Auxilia oeconomica foveantur inter personas iuridicas Ordinis, invicem conveniendo conditiones magis beneficas.

456. Circa auxilia oeconomica ferenda vel debita et obligationes inter personas iuridicas Ordinis contrahenda, sequentia prae oculis habeantur:

1º intra limites eiusdem Provinciae, fieri possunt sine ulla summae limitatione, de consensu Congregationis Provincialis, auditis illis quorum interest, nisi iam vigeat centralisatio oeconomica;

2º inter alias personas iuridicas Ordinis, si summa id exigat, decisio semper ad P. Generalem, de consensu suorum Adsistentium, pertinet, auditis illis quorum interest.

## Administrationis revisio

457. In Directorio Generali Oeconomiae Ordinis et in Statuto oeconomico singularum Ditionum, singillatim et distincte statuetur modus revidendi gestionem et administrationem Communitatum Generalis, Ditionalis et Localis, necnon Operum ab illis dependentium.

458. Superior Maior, per se vel per alium, Communitatum et Operum cursum

oeconomicum saltem bis in anno inspiciat. De hac autem revisione certiorem quoque reddet Congregationem Ditionalem.

459. Documenta singularum Ditionum ac Ordinis administrationis revidenda ac subscribenda sunt a respectiva Congregatione, saltem in praevia aestimatione praesentanda, in medio exercitio atque in eiusdem fine.

460. In ambitu Communitatis Localis:

1º Superior Domus saltem quarto quoque mense libros administrationis domesticae et librum Missarum revisenda curabit et, una cum Officialibus respectivis, subscribet.

2º Revisio fiet a Communitate, quae, si opportunum ipsi videbitur, duos Censores nominabit.

3º Saltem quarto quoque mense, Oeconomus (seu Administrator) rationem reddet Communitati de cursu exercitii oeconomici ipsius et, si casus ferat, Operum. Tam Censores, si adsunt, quam cetera membra Communitatis proprias suggestiones ad administrationem meliorandam afferre poterunt.

461. In Capitulis Localibus, Ditionalibus ac Generali periodum oeconomicum inter Capitula respectiva revidetur, iuxta Directorium Oeconomiae Ordinis.

462. Statutum oeconomicum uniuscuiusque Ditionis normas indicabit ad revisionem oeonomicam perficiendam convenientes

## Bonorum culturalium et artis plenorum administratio

463. P. Generalis in toto Ordine, praesertim vero in Operibus et Communitatibus ab ipso immediate dependentibus, ceterique Superiores Maiores et Locales atque Directores, in sua quisque Ditione, Communitate vel Opere, curare debent ut patrimonium culturale conservetur et augeatur. Hoc patrimonium culturale praecipue constituitur Bibliotheca, archivis et rebus artis vel historiae causa pretiosis.

464. Singuli Superiores Maiores designabunt aliquos idoneos, quibus committere debent curam bibliothecae, archivi et patrimonii artistici ac historici ad Ordinem, Ditiones vel Communitates pertinentium; eosque praevia aestimatione oeconomica et necessariis opibus instruent.

465. Singula entia archivum habebunt, in quo colligentur ipsorum documenta.

466. Praeter documenta et libros vel bibliothecae elementa, res adsunt quae, artis vel historiae causa pretiosae, conservandae sunt quia patrimonii nostri partem aestimatione dignam constituunt. Ditiones locum seu sedem aptam ac tutam habebunt ad res istas servandas. Quae referentur in indicem et custodientur iuxta normas vigentes.

467. Si Communitas aut Opus claudatur vel etiam ad tempus derelinquatur, Superior Localis inventarium conficiet omnium bonorum, non exclusis bibliotheca et archivo. Hoc inventario prae oculis habito, Superior Major decernet quo talia bona transferri debeant. Idem faciendum est de iis, quae sodalis vita functus reliquit.

468. Si opportunum videatur bona nostra culturalia (bibliothecam, archivum, opera artis, etc.) vendi aut expurgari, primum consulendi sunt periti, a Superiore Majore ad hoc designati. Postea procedatur iuxta normas iuris universalis et proprii.

469. Inventarium et catalogus rerum artis vel historiae causa pretiosarum fiant in unaquaque Communitate, et catalogus generalis in Curia Ditionis exstet. Si quando huiusmodi res in proprio loco conservari nequeant, convenit ut in deposito communi Ditionis collocentur.

470. P. Generalis Historiographum pro toto Ordine nominabit. Idem faciet quilibet P. Provincialis pro sua Provincia. Ceteri autem Superiores Maiores Historiographum propriae Ditionis designare poterunt.

AD DEI LAUDEM ET PROXIMORUM UTILITATEM

# SIGLA ET ABREVIATIONES

# SIGLA ET ABREVIATIONES

| | |
|---|---|
| AA | Apostolicam Actuositatem |
| AG | Ad Gentes |
| AI | Ad Instituenda |
| C1 | Constitutiones (1986) |
| C2 | Constitutiones (1984) |
| C3 | Constitutiones (1980) |
| C4 | Constitutiones (1957) |
| CC | Constitutiones Calasanctii (1622). Editio 1979 |
| CD | Christus Dominus |
| CG | Capitulum Generale. Semper indicatur annus celebrationis |
| CIC1 | Codex Iuris Canonici 1917 |
| CIC2 | Codex Iuris Canonici 1983 |
| CT | Catechesi Tradendae |
| D | Directoria varia pro Capitulis celebrandis |
| DD | Declarationes et Decreta Capituli Generalis Specialis anni 1967-1969 |
| DH | Dignitatis Humanae |
| DV | Dei Verbum |
| EN | Evangelii Nuntiandi |
| Ep.Cal. | Epistolae Calasanctii |
| ES | Ecclesiae Sanctae |
| ET | Evangelica Testificatio |
| GE | Gravissimum Educationis momentum |
| GOP | De nostra Gubernii Ordinis Participatione |
| GS | Gaudium et Spes |
| IM | Inter Mirifica |
| LG | Lumen Gentium |
| MR | Mutuae Relationes |
| NA | Nostra Aetate |
| OT | Optatam Totius |
| PC | Perfectae Caritatis |

| | |
|---|---|
| PI | Normae directivae de institutione in Religiosis Institutis |
| PO | Presbyterorum Ordinis |
| PP | Populorum Progressio |
| R1 | Regulae Communes (1986) |
| R2 | Regulae Communes (1980) |
| R3 | Regulae Communes (1957) |
| R4 | Regulae Communes (1977). Si quando aliae citantur, annus editionis indicabitur. |
| RC | Renovationis Causam |
| RH | Redemptor Hominis |
| SC | Sacrosanctum Concilium |
| SchC | Schola Catholica |
| VC | Vita Consecrata |
| vc | votum consultivum |
| vd | votum deliberativum |
| vcol | votum collegiale |

# INDEX

# INDEX FONTIUM
# REGULAE COMMUNES

Caput I. **De Ordine nostro eiusque iure**

1. C1 2; CG 1985
2. C3 8, 82-85
3. CC 345; C3 189
4. C3 11; R3 17; CG 1985
5. C1 119; C2 116-117; C3 108, 109
6. R3 1, 4, 7
7. R3 8-13; CIC2 29, 48, 59, 94
8. CG 2015.
9. C3 108, 109; CG 198.
10. R3 3,10-11,22; CIC2 116.1, 608, 609; CF I.2, II.3;CG 1985,2003,2015, 2022
11. R2 14.16; CG 2003
12. CG 2015
13. ES II 18; DD 57; CG 1985
14. (12) CIC2 596, 618, 619, 622, 631
15. CIC1 501; CIC2 129, 596; Clericalia Instituta 1, 4
16. C3 108, 109; R3 12, 14
17. R3 22.1-8; CIC2 129; CF II.2, III.1; CG 1985,1991,2003,2015.
18. R3 22.6; CIC2 596, 608, 620; CG 1985
19. CG 1985
20. R2 271, 368; CG 1985
21. R3 408
22. R3 384, 386
23. CG 2022
24. R3 387; CG 1985
25. R3 388

26. R3 398; CG 1985
27. R3 401; CIC2 127; CG 1985, 1991
28. R3 403, 367, 434; CIC2 105, 127; CG 1985
29. R3 405; CIC2 127; CG 1985, 1991
30. CG 1985
31. CG 1985, 1991
32. CG 1985
33. CG 1985
34. C3 109; CIC2 583, 587.1.2
35. CG 1985
36. R3 589, 590; CIC2 587.4
37. R3 587; CG 1985

Caput II. **De vita consecrata in Communitate**

*De praxi calasanctiana votorum*

38. R2 29; CIC2 578, 587; VC 35-37
39. R2 31; VC 38-39
40. Declarationes Constitutionum 15; Ep. Cal. 2110; CIC2 598; VC 20, 21

*De castitate*

41. PC 12; CIC2 599; VC 88; CG 2003
42. R2 33; PI 13; CG 2003
43. R2 34; CG 2003
44. R2 35; CG 2003
45. R2 36

*De paupertate*

46. PC 13; CIC2 600; VC 89
47. R2 38
48. R2 39
49. R2 40; PI 14
50. C4 151; R3 245
51. R2 42
52. R2 43; CG 2003

*De oboedientia*

53. PC 14; CIC2 601; VC 91

54. CIC2 618; PI 15
55. R2 46
56. R2 47
57. R2 48
58. R2 49
59. R2 50

*De communitate orationis*

60. DD 412; CG 1973; VC 93
61. C2 48; CG 1973; VC 93
62. C3 39-41; CIC2 663.3; VC 93, 94
63. CG 2003
64. Eucharisticum Mysterium (1967) 47; DD 455; C3 30, 44; CIC2 902; VC 95
65. Principi e norme per la Liturgia delle Ore (1970) 24-29; DD 456-459; CIC2 663.3, 1174.1.2;VC 95
66. Ordo Poenitentiae 13; C3 45; CIC2 630.1, 663; VC 95; CG 2003
67. C3 46; CIC2 664; CG 1973
68. CC 66
69. R3 193; C3 47; Catecismo de la Iglesia Católica (1997) 1163-1171
70. Ep. Cal. 127, 755b, 1049, 1459; R3 175, 190, 191; DD 462; CIC2 663.4; VC 95; CG 1997, 2003
71. R3 117, 189; C3 47; CG 1997, 2003
72. R3 187; CG 1985
73. R3 180; C3 48; CIC2 663.5; CG 2003
74. C1 48; C4 77, 288; CG 1973
75. R3 180, 181; C1 42; C4 61, 62, 65; DD 41, 65, 459
76. C3 49; CG 2003
77. C2 48; CIC2 608; CG 1973

*De vita comunitaria*

78. DD 64, 65; CIC2 602; VC 42; CG 1997
79. R3 171; C4 51; CIC1 597; CIC2 667.1; CG 2003
80. R3 162; CIC1 606; CIC2 665.1
81. R3 165, 166, 167; CG 1985, 2003
82. R3 164; C1C2 665.1
83. R3 165, 394

84. CC 174; C4 169; R2 73, 303, 304; CG 1985, 2003

85. CC 168, 171; R3 163, 166

86. C3 112, 158; CG 1973

87. R3 306-309; C1 77; C4 168; CIC1 1386; CIC2 832; CG 2003

88. CG 2022

89. R3 300

90. CG 2022

91. CC 63-65, 78; C4 87; VC 44

92. CC 85; R3 207

93. R3 221; CG 2003

*De suffragiis pro defunctis*

94. R3 210; CG 2003

95. R3 211

96. R3 211; CG 2003

97. R3 211,218; CG 2003

98. R3 212

99. R3 221; CG 2003

Caput III. **De nostro ministerio**

100. GE procemium, l1, 40; EN 14, 15; PI 14, 15; MR 14; SchC 4, 7

101. DD 26, 46; VC 96; CG 1997, 2003

102. MR 33f; CT 52; DD 763, 790, 796

103. CG 2022

104. GE 8; MR 9d, 53; SchC 8, 9; DD 58, 203, 220, 240, 759, 772

105. GS 11, 53, 56-59, 62; RH 19; EN 18, 19, 27, 36; CT 53; SchC 10-12, 37-48; DD 784, 786; VC 97

106. EN 15, 22-24, 28, 42, 48; CT 5, 24, 48; SchC 4, 35, 47, 54, 55; Dimensión religiosa de la educación en la escuela católica (1988) 31-41, 66-73; DD 357, 838

107. VC 63; CF I.2, II.2-5, III.1; CG 2015.

108. CG 2022

*De pueris juvenibusque a nobis educandis*

109. GS 75; GE 1.3; PP 32; EN 25, 39; SchC 13; DD 483

110. GS 58; CT 11; RH 12; GE 1-3; CT 22, 29, 37, 39, 56, 57; SchC 12, 35; DD 770, 773, 843

111. GS 31, 55-57; AA 30; GS 3; PP 73, 83; CT 29, 38, 39; SchC 36, 57, 58; DD 770, 773

112. SC 19; GE 1, 2; RH 12, 14; EN 44, 63, 79; CT 13, 20, 21, 31 49, 51, 59; SchC 34, 35; DD 837, 841; CG 1997

113. DD 884-890, 758, 770-775; CIC2 795; CG 1979, 1985, 1997

*De educatore calasanctiano*

114. GS 58; DV 2-4, 9, 13, 15; LG 9; NA 2; GE l, 2; SC 19; AA 15.19; EN 44, 48, 63; RH 12; CT 17, 53, 54; MR 17,18,23c; DD 856-857; VC 98

115. EN 3, 4, 15; CT 6, 16, 17, 21, 30, 49, 52, 60, 61; MR 9d, 12, 18a, 22, 33, 53; DD 831, 836, 851

116. EN 21, 41, 69, 75; DD 354, 356; CG 2003

117. EN 67-69; DD 356; CG 1997, 2003

*De institutione catechetica*

118. EN 1, 14; CT 1, 10-15, 18-20; DD 45, 318, 847, 858, 859

119. SC 109; CD 30; PO 6; AA 30; EN 23, 47; CT 18, 22, 33, 37; DD 357, 358, 855, 873; CG 1997

120. AG 17; CT 15, 17, 58; MR 26; DD 833, 839, 849, 850

121. CC 194; DD 834-836, 861, 871, 873, 926, 927; CG 1985

122. OT 2; EN 58, 72; CT 47; DD 845, 940; CG 1997

123. GS 48, 52; AA 1, 12; GE 3, 44; EN 54; CT 16, 36, 68; DD 166-170, 983-991

124. EN 13, 15, 24, 60; CT 16, 24; MR 18b, 20, 36, 39; SchC 72; DD 80, 831, 846, 851, 1096, 1111

*De schola calasanctiana*

125. GS 89; GE 4, 5, 98; CT 69; SchC 3, 8, 9, 15-32, 71, 72, 77, 83, 84, 87; DD 61, 112, 146, 319, 758

126. GE 8; DH 4,5; SchC 9, 21, 53-56, 73, 85; DD 490, 844, 845

127. SchC 72, 73; DD 166, 749, 780, 811, 983, 984

128. SchC 4, 53-55

129. SchC 39-63,65-67, 70

130. EN 44; CT 69; SchC 49-52; DD 848, 852; CG 1973

131. SC 56; DD 869, 870; CG 2003

132. GE 7; SchC 47, 51; DD 844-852

133. GE 8; MR 40; DD 679, 680, 779, 846

134. AA 30; CD 35; IM 3; GE 9; EN 45; SchC 72; DD 188, 789, 808-814; CG 1997, 2022

135. GS 61; CD 12; AA 30; EN 46; DD 773, 842, CG 2022

136. MR 26; CG 1997, 2022

137. DD 992, 997; CG 1979

138. R4 121; CG 2003

139. SchC 78; DD 800, 999, 1004, 1005, 1011; CG 2003

140. DD 1001

141. SchC 86; DD 840, 841

142. DD 824, 825; CG 1979, 2003

143. MR 40-43; CG 1997, 2003

*De aliis actuositatibus*

144. C4 5-7; SchC 8, 74-76, 89, CG 2022

145. DD 815, 823; CG 1973

146. R3 198-201; C4 78, 79; CG 1985, 1997

147. DD 898, 899; CG 1985, CG 2022

148. MR 19, 23c; SchC 77; DD 900; CG 1997; CG 2022

149. DD 905; CG 1991, 2003

150. DD 1095, 1103, 1111; CG 1973; CG 2022

151. CC 188-191, 289; R4 134

Caput IV. **De cura pastorali vocationum et formatione sodalium**

152. C3 95; DD 476, 486, 487; VC 64-65; CG 2003

153. DD 475, 488-492, 571, 572, 590, 621, 622; PI 1-5; La formación del escolapio (1991); Directorio escolapio de pastoral vocacional (1992); Directorio escolapio de formación permanente (1994); CG 1991, 2003

154. DD 493, 496 ,498; PI 86-89; CG 1997

155. DD 496, 492, 568-570, 708-711, 508-510; CG 2003

156. R3 41-52; DD 495, 496, 497, 492, 474-696; CG 2003

*De sedibus formationis et de formatoribus*

157. RC 17; DD 599, 601; CG 1973

158. DD 649; CG 2003

159. R3 67, 122; PI 30-32; VC 66, 67; CG 1973, 1979, 1991, 2003

160. DD 703, 712, 714-716; CG 1973, 2003

161. R3 122

162. CG 2022, Iuventutis Synodo 2019

*De Adspirantatu et Prae-novitiatu*

163. PI 42; DD568-572,590-591; R3 42-44; CG 2015.
164. CG 1973
165. R3 42, 137, 140; DD 608, 609
166. R3 49-50; DD 590-595; La formación del escolapio (1991) 90-114; CG 1973, 1985, 2003
167. R3 52-53; C4 12-16; CIC2 597; PI 43
168. CIC2 645; VC 68
169. R3 39; CIC2 643; CG 1985

*De Novitiatu*

170. R3 59, 61; DD 618; CIC2 641, 646
171. R3 56
172. DD 598, 600, 603, 604; CIC2 647.2.3, 648
173. RC 22; DD 605; CIC2 649.1
174. R3 54; CIC2 702
175. DD 509, 511-567; La formación del escolapio (1991) 115-139
176. DD 596, 597; CIC2 646; VC 68; PI 45; CG 2003
177. R3 73; DD 563-566; PI 46, 47
178. R3 74; DD 616; CIC2 625.1; CG 1985, 2003
179. RC 24; DD 612-615; CIC2 648; CG 1979
180. RC 23; DD 613; PI 52
181. R3 75-82; C4 27; CIC1 563; CG 2003
182. R3 99; CIC2 653.1.2
183. R3 93; PI 55
184. R3 94; C4 29; CIC2 668.1.2
185. R3 100; C4 30; C3 99; DD 506, 507, 620; CG 1973, 2003
186. CIC2 656; CG 1985
187. R3 97; CIC1 571.3
188. R3 99, 107-108; DD 619; CIC2 6, 55
189. RC 10; DD 620; CIC2 249.2; CG 1985
190. R3 103; CG 2003
191. R3 102, 108; DD 1045, 1075; CIC2 656.5
192. R3 91, 110; CG 2003

*De Studentatu*

193. R3 135-136, 142-146; PI 58-62; VC 68; CG 1985, 2003

194. R3 120, 135-161; DD 508-567, 621-644; La formación del escolapio (1991) 140-218; CG 2003

195. DD 509-510

196. R3 154, 156; DD 634-636, 551-555; PI 102-107; CG 2003

197. R3 158; DD 550, 631, 637, 798

198. R3 251; DD 246-248, 501; CG 1718

199. R3 130; CG 1985

200. R3 108, 109; CIC2 657.1

201. R3 107-109; CG 1973, 2003

202. CIC2 657.1, 689.1

203. CIC2 658; CG 1985, 1991

204. CIC2 657.3; CG 1985, 1991

205. C4 114; CIC2 688.2

206. R3 95, 111; CIC2 689.2.3; CG 1973, 1985

207. RC 38; CIC2 690.1

208. R3 115; RC 9; DD 627; PI 56; CG 1973, 2003

209. R3 117, 118; C4 36; CIC2 668.4.5; CG 1997, 2003

210. R2 194; Elementi essenziali dell'insegnamento della Chiesa sulla vita religiosa (1983) III.6; CG 1979

211. R3 103; CIC1 576; CG 2003

212. R3 117, 119; CIC1 585; CG 2003

213. CIC2 1020, 1050.

214. R3 116; CIC2 1019.1, 1036, 1037, 1050.3; CG 2003

*De formatione permanenti*

215. R4 194; CIC2 659; La formación del escolapio (1991) 252-267; Directorio escolapio de formación permanente (1994) 70-93; PI 66-67, 69-70; VC 69-70; CG 1997, 2003

216. R4 195; PI 68; VC 71

217. R4 196

218. R4 197; PI 68; VC 71; CG 1997

219. R4 198; CIC2 660.1; CG 1997

220. R4 199; CIC2 659.2; CG 1985, 1991, 2003

221. CG 2022

Caput V. **De organica Ordinis nostri dispositione**

*De sodalibus*

222. R3 24, 25; CIC2 654; CG 2003

223. R3 62; R4 201
224. C4 306-308; C3 121; DD 1078; CG 2003
225. C 4,186-189; R3 322-327,373; CG 2003,2015
226. R3 24, 26; C3 124, 126; CG 1973, 1985
227. R3 27; R4 205; RC 7; CG 1979
228. R4 206; CIC2 578.3
229. R3 28; R4 207
230. R3 3.1; R4 209; CG 1985, 2003
231. R3 29; R4 208; CG 2003
232. DD 957; R4 210
233. R3 57; R4 212; CG 1973, 1997, 2003, 2022
234. CIC2 677.2; CG 1985, 2003
235. VC 31,37,54-56,96-98; CIC2 298-311; Ripartire da Cristo 31; CG 2015
236. CG 2022
237. R3 58; R4 213; DD 1021-1025
238. R4 214; CIC2 665, 686, 687, 693, 684, 685; CG 1985, 2003
239. R4 215, 216; CIC1 639, 2385, 2386; CG 1985
240. C3 79; R4 217; CG 1985

*De Communitate Locali*

241. C3 131; R4 218
242. R3 22.10; R4 219; C3 132; C4 175; DD 1052; CG 1973
243. R3 22.10, 314; C4 175; CG 1985
244. R4 220; C3 132; C4 172; CIC2 609, 611, 612; CG 1985
245. R3 289, 313; C3 132; DD 950, 966; CIC2 610; CG 1985
246. CC 183; C3 132, 133; C4 176; DD 969; CIC2. 616.1; CG 1985
247. CG 2003
248. R3 262; R4 223; C3 132; DD 943, 944; CIC2 671; CG 1973, 1985
249. CC 181; R3 319; R4 224; C3 64
250. R3 22.8, 474; R4 225, 226; C4 205, 206, 254; C3 135; CG 1979, 1985, 1991
251. R4 226; C3 135; CIC2 626, 3; CG 1985
252. CG 1985
253. R4 227; C4 250-264; C3 136; CG 2003
254. R3 280; R4 228; CG 1979, 1985, 2003
255. R3 464; R4 229

256. R3 469; R4 230; GOP 119.17; C3 137; CG 1985, 2022

257. R3 402, 475; R4 231; C3 137; CIC2 703; CG 1985, 2003

258. R3 477, 520, 521; R4 232; DD 1050; CG 1985, 2003

259. R3 479-497; R4 233; C3 137; C4 257, 258; CG 2003

260. R3 280; R4 234; C3 137; C4 257, 258

261. R3 485; R4 235; C3 137; C4 257, 258; CG 2003, 2022

262. R3 486; R4 236; C3 137; C4 257, 258; CG 2003, 2022

263. R3 531-541; R1 468-471; C3 137; C4 257, 258; DD 690, 691

264. R3 487, 488; R4 238; C3 137; C4 257, 258.

*De Communitate Provinciali*

265. CC 282; R4 239; C3 144

*1. De Provincia stricto sensu*

266. R3 22.9, 322; C4 187

267. R3 22.9, 322; C4 187, 188, 245

268. R4 239; DD 1096, 1111

269. R4 133, 239-240, 303-388; DD 1095-1097; CG 1973, 2003

270. DD 1102; CG 1985

271. R4 241; DD1104-1111; CG 1985

272. R4 242; DD 1098-1103, 1111

273. R3 22.2-4; R4 243; DD 1098-1103, 1111; CG 2003

274. R3 253; R4 245; C3 148; C4 202, 203; DD 1119, 1137; GOP 68, 119.6; CG 1991

275. R3 439; R4 246; CG 2003.

276. R3 444-453; R4 247; C3 146-151; C4 236-240; CG 1991

277. R3 440; R4 248; CG 2003,2015.

278. R3 441; R4 250; CG 1985

279. R3 365, 454-455; R4 251; C3 154; C4 207, 235, 245; GOP 69-70; CG 1985, 1991

280. R3 456; R4 244

281. R3 259; R4 253; CG 1985

282. R3 463; R4 254; CG 1985

283. CG 2022

*2. De Viceprovinciis dependentibus et de Vicariatibus Provincialibus*

284. R3 323; C4 189; C3 161

*A. De Viceprovinciis dependentibus*

285. R3 323; C4 189; C3 161; CG 1985

286. R3 22.9; C4 189; CG 1985

287. R3 460; R4 256; C4 246; CG 1985

288. R4 246; CG 1985, 2003

289. R4 258, 259, 261; C4 246; GOP 86, 119.8.10; CG 1985, 1991

290. R3 461; R4 260; CG 1985

291. R4 261; GOP 70; CG 1991

*B. De Vicariatibus Provincialibus*

292. C1 191; C2 185; C3 169; CG 1985

293. R3 22.7.9; C4 246; C3 171; GOP 119.13; CG 1985, 1991, 2003

294. CG 1985, 2003

295. CG 1985, 2003

296. C4 246; CG 1985, 1991, 2003

297. CG 1985, 2003

298. CG 1985, 1991

*De Communitate Generali*

299. R4 265; C4 186; C3 173; CG 1985

*1. De Ordine in genere*

300. DD 50-57, 1096; CG 1985

*1.A. De Patre Generali*

301. R3 409; R4 268; C4 214-216; CIC2 622, 624.1

302. R3 409-416; R4 269-272; C4 214-16; C3 176; CIC2 592.1.2; CG 1979, 1985, 2003

303. R3 418; R4 270; C4 265; C3 176; CIC2 628.1; CG 1973

304. R3 258; R4 271; C4 265; CG 2003

305. R4 272; C3 176; DD 1038; CG 1985

306. R3 22.1, 411; R4 273; CG 1985, 2003

307. CG 1985

308. R3 22.9,325; R4 291; CIC2 129; CF II.2, III.1; CG 1985,2003,2015.

309. R4 294; CG 1985, 2003

*1.B. De Adsistentibus et Congregatione Generalibus*

310. R3 423-430; R4 274; C4 230-233; C3 177; GOP 110-113; CG 1979, 1997, 2003

311. R4 275; C1 200; GOP 119.2; CG 1991, 2003

312. R3 401, 404, 433; R4 277; CIC2 128.1; CG 1985

313. R3 427, 428; R4 278

314. R3 428; R4 279; CG 1985

315. R3 432; R4 280; CG 2015.

316. CIC2 699; CG 1985

*1.C. De Officialibus Curiae Generalis*

317. R4 282; C4 221; C3 178; CG 1985

318. R4 283; CIC1 517

319. R3 426; R4 284

320. R3 419; R4 285

321. R3 500, 502; R4 286; C2 197; C4 224; DD 1157, 1160; CIC2 636.1.2

322. R3 420; R4 287; C4 225; C3 182

323. R4 288; C4 223

324. VC 109-110; R1 466,473; R3 421,422,531-547; R4 289,290; CF I.1; CG 2015

325. CG 2022

*1.D. De Consilio Superiorum Maiorum*

326. R4 296; DD 1093, 1094, 1104, 1105

327. R4 297; DD 953-1107; CG 1973, 2003

328. R4 298; C3 186; DD 1106; CG 2003

*1.E. De Secretariatibus Generalibus et Interditionalibus*

329. R4 299; DD 940, 1096-1103

330. R4 300; DD 1099

331. R4 301; DD 1199; CG 2003

332. R4 303; DD 1102; CG 2003

333. R4 302; DD 1159; CG 2003

334. R4 303; DD 1102; CG 2003

*De Viceprovinciis independentibus et Delegationibus Generalibus*

*2.A. De Viceprovinciis independentibus*

335. R3 22.5.9, 323; C4 189; C3 161; CG 1985

336. R3 22.9; C4 189; CG 1985

337. R3 22.9, 460; R4 256; C4 246; CG 1985

338. R4 246; CG 1985

339. R4 257; GOP 86, 119.8; CG 1985

340. R3 461; R4 260; CG 1985

*2.B. De Delegationibus Generalibus*

341. R3 22.9, 325; R4 291; CG 1985

342. R4 294; CG 1985

343. R4 246; CG 1985

344. R3 325; R4 295; CG 1985

345. R4 294, 347, 348; GOP 88; CG 1985, 2003

*De consociatione inter Ditiones*

346. CG 2003

347. CG 2003

*De visitatione canonica*

348. R2 255.1, 276, 280-282; R3 418, 548-562; C4 265-279; C3 152, 176; CG 1991

349. CG 2003

## Caput VI. **De sodalium participatione in Ordinis gubernio**

*De voce et voto*

350. R4 304; CG 1973, 1979, 1985, 2003

351. R4 305; C4 196, 199, 210; DD 1113b; CG 1973, 1979,

352. R3 330; R4 306; CG 1973, 2003

353. R4 308; C4 199.II; DD 1114a.b; CG 1973, 1979, 1985,

354. R4 308.2.3; DD 1114; CG 1973, 1979, 1985, 2003

355. CG 1985

*De Capitulis in genere*

356. R4 309; C4 190; C2 123; DD 1115a; CG 1985

357. R4 310; C4 190; C2 123

358. R4 311; D 1973 3e; CG 1973

359. R4 312; DD 1115c, 1128; CG 1985, 2003

360. R4 313; C4 197, 200; DD 1115e; D 1973 6b; CG 1985, 2003

361. R4 314; GOP 35-48; CG 1973, 2003

362. R4 315; C4 192; DD 1117a; CG 1979, 2003

363. R4 316; C4 201; D 1957 35, 79, 82, 102; CG 1973, 2003

364. R4 317; C4 193; DD 1118a, 1119; CG 1973, 2003

365. R4 319; DD 1119; CG 1973, 2003

366. R3 428; R4 320; DD 1117c; CG 2003

367. R4 321; CG 1973

368. R4 315, 319; CG 1985

369. CIC2 119.1, 164, 176; R4 322, 323; CG 1985

370. R4 324; C4 193; DD 1118c; CG 1985

371. R4 325; CG 1973, 1985, 1997, 2003

372. R4 326; C4 193; DD 1118d; CG 1991, 1997, 2003

373. R3 336; CIC2 167.2; CG 1985

374. R3 360; CG 1985

375. R3 337; CIC1 179, 180; CIC2 180-183; CG 1973

376. R3 338, 351; R4 328; D 1973 11

377. R3 334; R4 329; CIC2 167.1; D 1973 11; CG 1973, 1985, 2003

378. CIC2 119.2; CG 1985

379. R3 329; R4 330; C4 191; DD 1116

*De Capitulo Locali*

380. R4 331; C4 194; DD 1120; CG 1973, 1979, 2003

381. R3 341; R4 333; D 1973 31b; CG 1979

382. R4 337; D 1957 37; CIC2 631.3; CG 1973

383. R3 339, 343; R4 336; DD 1123a; CG 1973, 2003, 2022

384. DD1122; R3 339; R4 340; CG 1979,1991,2003,2015

385. DD 1122; D1973 27; R4 342; CG 1973,2015

386. R4 342, 343; DD 1122; CG 1973, 2003

387. R4 344; DD 1122

388. DD1122; R4 345; CG 1973,2003,2015

389. R3 348; CG 1991,2015

*De Capitulo Provinciali*

390. R3 354; R4 349; C4 198; DD 1128; CG 1991

391. R4 350; C4 159, 193; DD 1129; CG 1973, 1991, 2003

392. R4 351; C4 199; C3 160; DD 1130; CG 1973, 1979, 1991, 2003

393. R4 353; DD 1132a; CG 1973, 1979, 1985, 2003

394. R4 354; DD 1132a

395. R4 355; DD 1132b; CG 2022

396. R4 356; CG 1973, 2003

397. R3 455; R4 358; C4 203; DD 1134; CG 1973, 1991, 2003

398. R3 376; R4 359; C4 213; DD 1135, 1147b

*De Capitulo Viceprovinciali*

399. R4 360; DD 1116d

400. R4 361, 362; C3 167; DD 11383; CG 1973, 1985, 1991, 2003

401. R4 364; CG 1973, 2003

402. R4 365; C4 208; C3 168; DD 1140; CG 1973, 1979, 1985, 2003

403. CG 1979, 2003

404. CG 1985

405. CG 1985

406. CG 1985

407. R4 367; CG 1985, 1991, 2003

408. R4 367; CG 1985, 1991

409. CG 1985

*De Capitulo Vicariali*

410. R1 284; CG 2003

411. R1 284; CG 2003

412. R4 346; DD 1124; CG 2003

*De Capitulo Generali*

413. R3 14, 371; R4 360; C4 209; DD 1142; D 1973 29; CIC2 631.1

414. DD 1116

415. R4 369; C4 209; C3 187; DD 1142; CG 1973, 2003

416. R4 370; C4 372; C3 188; DD 1143; CG 1973, 1979, 1985

417. CG 1985

418. R4 371; DD 1144; CG 2003

419. R3 379; R4 372; D 1973 42; CG 1973

420. R4 373; C4 211, 212; DD 1145, 1146; CG 1991, 2003

421. R4 374; C4 213; DD 1147a; CG 1973

422. R3 376, 378; R4 375; DD 1147b; CG 1973, 1985, 1991, 2003

423. R3 424; R4 376; DD 1148; Cg 1991, 2003

*De nominationibus*

424. R3 328; R4 377, 378; DD 1119, 1154, 1155; CG 1979, 195, 2003

*De renuntiationibus*

425. R4 379; CG 1973

426. R4 380; CG 1973, 1979

427. R4 381; DD 1156; CG 1973

428. R4 382; CG 1973

Caput VII. **De bonis temporalibus administrandis**

*Principia generalia*

429. CIC2 1257.1; CG 2003

430. CIC2 635; CG 1979, 2003

431. R3 498; R4 383; C3 115; CIC2 634.1, 1255; CG 2003

432. R3 524; CIC2 639.1-4, 1276; CG 2003

433. R3 504, 505; CIC2 636, 1279, 1281; CG 1991, 2003

434. DD 1157; CG 2003

*Administrationis gestio*

435. R3 500; R4 385; CIC2 636.1; CG 1985, 2003

436. R3 504, 511; R4 386, 393; CG 2003

437. R3 501; R4 387; CIC2 636; CG 2003

438. R4 388; DD 1158; CIC2 1280; CG 1973, 1985, 2003

439. R3 503; R4 392; CG 2003

*Administrationis systema*

440. CG 2003

441. R3 509; R4 395, 396, 401; R1 433, 434; CIC2 638; CG 1979, 2003

442. R3 511; R4 398; CIC2 1284; DD 1164; CG 2003

443. R3 511; R4 399, 400; DD 1164; CG 1979, 2003

444. R3 520; R4 406; CIC2 638, 1292-1297; CG 1979, 1985, 2003

445. R3 520, 521; R4 407; CG 1979, 2003

446. R3 521; R4 409; CG 2003

447. CG 2003

*Administrationis objectum*

448. R3 513; R4 410; CG 1979, 2003

449. R3 514; R4 411; CG 1979, 2003

450. R3 515; R4 412; CG 2003

451. R3 499; R4 413; CG 2003

452. R3 499; R4 414; C3 67; CG 2003

453. CG 1973, 1979, 2003

454. CG 1979, 2003

455. R3 520; R4 415; CG 2003

456. R3 520; R4 416; CG 2003

*Administrationis revisio*

457. CIC2 636.2; CG 2003

458. R3 512,528; R4 404,420; CG 2003

459. R3 529; R4 421; CG 2003

460. R3 525, 526, 527; R4 417, 418, 419

461. C4 201; R3 339, 343, 368; R4 316; 336, 347, 352, 360, 366; DD 1123a, 1131, 1116d; CG 1973, 2003

462. CG 2003

*Bonorum culturalium et artis plenorum administratio*

463. R2 263; C3 150; C1 171; CG 1985, 2003

464. R3 542; R2 299; CG 1985, 2003

465. R3 542-547; CG 1985, 2003

466. R3 243, 531-541, 543; CG 1985, 2003

467. R3 534; CG 1985, 2003

468. R3 409.4; R2 422.4; CG 1985, 2003

469. CG 1985, 2003

470. R2 299, 300; CG 1985, 2003